cto limitanda est doctrina Bartoli, & Baldi in d.l.20.d.§. fin. de testamentis.

Neque contra supra tradita vrget text. in l.2.in fine 28
principij, ff. de iudicijs, ibi: *Aut si, cùm restitisset, quiuis ex litigatoribus viribus præturæ compulsus est, nulla iurisdictio est.* Cui varijs glossographorum omissis solutionibus, nec non Cujacij in l. si mulier. 22. §. si dos, ff. quod metus caus. cui adstruit Thom. Sanchez vbi supra disputat. 39. num. 3. Scilicet quod si metus in latus fuerit à Prætore, seu iudice, cuius iurisdictio prorogatur, huiusmodi iurisdictio metu prorogata est nulla ipso iure in odium iudicis, *Ne inde iniuriarum nascatur occasio, vnde iura nascuntur*, l. meminerint, C. vnde vi. Sed hæc decisio non prouenit ex odio: alioqui simili ratione, quoties in cæteris conuentionibus metus inlatus foret fauore inferentis, nullæ essent, & Irritæ ipso iure: deinde quoniam absolutè, & generaliter negat, ibi Vlpianus metu prorogari iurisdictionem, siue inferatur viribus præturæ, cuius est iurisdictio, siue cuius nō est, & Paulus in l. 22. ff. eod. de iudic. ibi: *Qui non cogitur in aliquo loco iudicium pati.* Respondeo equidem prædicta verba Vlpiani in d.l.2. interpretanda esse ex l. si conuenerit, ff. de iurisdict. omn. iudic. ad cuius veram intelligentiam præmittendum est, tempore Vlpian. ac cæterorum Iureconsult. magnam fuisse litigantibus permissam libertatem iudices eligendi, nam vt inquit Cicero pro Cluentio, *Voluerunt patres nostri, non modò de existimatione cuiusquam, sed nec de pecuniaria, quidè re minima aliquem esse iudicem, nisi qui inter aduersarios conuenisset.* Ex qua conuentione, & consensu est text. in l. 1. d.l. 2. l. 47. l. 80. ff. de iudic. l. ex consensu, ff. de appell. explicat Giphanius, & Gilchenius in l. apertissimi, C. de iudicijs: quod ius etiam in foro Ecclesiastico circa tempore Zepherini Papæ Ecclesiæ Præsulis anno Domini 207. obseruatum scimus ex cap. duodecim. 5. quæst. 4. & circa eadem tempora ex Concilio Me-

Universidad Carlos III de Madrid. Biblioteca

lebitano (cui interfuit D. Auguſtinus) cap. 24. ibi: *Si autem ex communi placito vicinos iudices elegerint, aut duo, aut eligantur, aut tres*, ex quo prælibatus eſt text. in capit. de Quodvuldeo. de iudicijs, vbi ex prædicta facultate interrogatus fuit Epiſcopus Quodvuldeus, an vellet cum aduerſario coram illo concilio experiri, primô id promiſſerat, qua promiſsione iuri eligendi renuntiauit, remotaque electione neceſſario iudicio Concilij, Quodvuldeus erat ſubijciendus; clauſa enim electionis via, à cenſura iudicis competentis, ſicut erat Conciliũ illud ipſo iure, exitus permitti ius non fuit. Quid igitur nunc proderit deciſio text. in d. cap. 1. prout eſt in corpore iuris inſerta? reſpondendum, promiſsione illa in iudicio facta, nunc excludi recuſſandi facultatem ex cauſa præcedenti, iuxta text. in capit. 27. §. verum de officio delegat. notat Berous in dict. capit. 1. Si autem iure eligendi vterentur, aut eligebant iudices aliàs ſuos, vt in d. cap. 1. & tunc ſufficiebat nuda promiſsio, quia ea nulla iuriſdictio conſtituebatur, ſatis enim ipſo iure munita erat: aut eligebant iudices aliàs non ſuos, vt in d. l. ſi conuenerit. & tunc quia huiuſmodi priuilegium erat contra magiſtratus propriæ, & ordinariæ iuriſdictionis, effectum prorrogandæ alienæ iuriſdictionis, nullatenus ſortiebatur, niſi duplici medio adhibito, ſcilicet conſenſu, & ſubiectione formali, & actuali in iudicio, vt patet ex l. 1. ff. de iudicijs, ibi: *Si ſe ſubijciant aliqui iuriſdictioni, & conſentiant*, notat ibi eruditè Barboſa, art. 3. num. 115. alioquin pacto etiam iuramento firmato, ſeu ſtipulatione, vel alio modo iuriſdictio prorogata non eſt, nam licet iuramenti tranſgreſſor á ſuo iudice debeat iudicari, quia ſponte poteſt ſe ſubijcere; tamen cùm defectus non ſit actionis, vel exceptionis, non eſt compellendus huiuſmodi conuentioni ſtare, ſi priuſquam adiretur Prætor, ideſt ſi priuſquam, qui promiſsit, ſe actualiter ſubijciat, mutata voluntas fuerit.

Vnde

Vnde non immeritò dixerit Baldus in c. P. & G. de offic. deleg. vulgarem renuntiationem d. legis si conuenerit, quam semper notarij adscribunt, inutilem esse: quia si nec pacto, nec stipulatione potest iurisdictio prorogari, nec etiam renuntiatione poterit, præcipuè cùm d. lex si conuenerit. nullum tribuisset priuilegium, cui renuntietur, sed tantùm decreuisset solo consensu minimè iurisdictionem prorogari, sed consensu, & subiectione, vt in d. l. 1. & in d. l. si conuenerit. ibi *Priusquam adiretur*. Ratio autem, quarè consensus, simul & subiectio requiratur, ea (ni fallor est) quia quiditas iurisdictionis est ex parte iudicis imperare, & ex parte subditi obedire, vt dixit Vlpian. in l. vnic. §. 1. ff. si quis ius dic. non obtemper. ibi: *Is videtur iusdicenti, non obtemperasse, qui quod extremum in iurisdictione est, non fecit*. Quid sit illud extremum (licet hæsitet Ossualdus ex Zasio, Cujac. Oldend. & alijs lib. 15. comm. c. 24. in fin. enim intelligo esse obedire: primum) est imperare, extremum obedire: præcipit enim iusdicens vindicari rem, non patitur possidens, sed auferri, & sic inobediens existit, & quod extremum est in iurisdictione non fecit, tunc ergo imperare illud, ius dicere, seu præcipere aut competit iusdicenti à lege, vel â Principe, & tũ concessum est defendere suam iurisdictionem pœnali iudicio d. l. vnic. in princip. quia illa *Lege Regia*, quæ de Principis imperio lata est, populus ei, & in eũ omne imperium suum, & potestatem contulit, l. 1. ff. de const. Princ. & se subiecit Principi, & iudicibus eius: aut competit ex consensu partium, & tum necessaria est subiectio, vt constituatur iurisdictio: itaque si conuenerit, vt alius Prætor, quam cuius iurisdictio est, ius dicat, & priusquam adiretur, ideſt quam se subijciat, mutata voluntas fuerit, non est compellendus huiusmodi conuentioni stare, cùm enim ipse est, qui dat iurisdictionem, vsque dum subijcitur, non est iurisdictio: quia sine subdito non est,

nec

nec alio pacto poteſt iuriſdictionem ſupra ſe prorogare: igitur huiuſmodi conſenſui ſolo ſtare non poteſt compelli:quoniam nulla adhuc eſt iuriſdictio,etſi in viridi hoc fit,ideſt in conſenſu liberrimo,in arido ideſt in conſenſu coacto quid fiet,vt in d.l.2.ff.de iudicijs,niſi quod nulla etiam ſit iuriſdictio.& cùm ex d.l.ſi conuenerit.ad ſe ſubijciendum compelli non poſsit,ſi viribus præturæ ſit compulſus,nulla etiam ipſo iure eſt iuriſdictio.At verò ex iure Iuſtiniani in l.ſiquis in conſcribendo, C.de pactis defenderem prædicto ſolo pacto,& conſenſu explicito per ſcripturam prorogari iuriſdictionem; praxis ſcilicet,qua vtimur, *Y doy poder à las Iuſticias,&c. Y renuncio mi propio fuero, juridicion, y domicilio*,nil poſſet operari,niſi opera,& vi legis,nè alias priuatorum conſenſus iudicem faceret:quia ſola lex,ſeu Princeps concedendi iuriſdictionem ius habet,aut immediatè ſiue à ſe,reſcripto,ſeu priuilegio: aut mediatè, ſcilicet pacto,& conſenſu priuatorum tanquam inſtrumento : vnde ſine dubio antiquata,& abrogata eſſe videtur deciſio in d.l.ſi conuenerit, & in d.l.2. in fine principij;&compelli poſſe,qui conuenerit,vt alius prætor quam cuius iuriſdictio eſt, ius dicat:& licet talis conuentio, vel etiam ſubiectio metu extorta ſit, valebit ipſo iure,& ſi poſtea reſcindatur edicto.

29 Nec denique obſtat,quòd de iure Canonico electio,& renuntiatio metu extorta ipſo iure nulla eſt,irrita,& inanis,cap.vbi periculum. §.cæterum de elect.lib.6.cap.cum terra,eodem titulo in decretal.cap.2.cum ſequent. de his quæ vi,metusve cauſ.fiunt:quia reſpondeo in iure Canonico fortiſsimum eſſe argumentum de matrimonio carnali ad ſpirituale,capit.inter corporalia.capit.quantò de translatione Epiſcop. cum igitur matrimonium carnale celebratum metu,ſit irritum ipſo iure,ita ſimiliter & ſpirituale,ſiue electio,de qua in d.iuribus:& ſicut matrimonium non poteſt diſſolui,ita nec ſpirituale d.cap.quantò,

præ-

præcipuè metu adhibito d.cap.2.cum ſequentibus, de his quæ vi, maximè cum quæuis electio liberalitatem attingat, quæ vt dixi metu extorta irrita eſt ipſo iure naturæ: ſiue iuſtitiam diſtributiuam (quæ tanquam virtus moralis debet fieri voluntariè, & non coactè) ſiue reſpiciamus finem vltimum, ideſt Deum, in quem virtus moralis tendit, ſiue reſpiciamus originem ſuam naturæ incorruptæ, vbi nulla coactio eſſet: ita ſimiliter iudicium iusdicentis, ſiue iuſtitia commutatiua in concreto metu extorta nulla erit, & irrita ipſo iure.

CAPVT XI.

Actio humana his, qui ratione carent, denegatur, virtus, & vitium, præmium, & pœna.

SVMMARIVM.

1. *Imperium rationis ſilet in pueris, inſanis, & ebrijs.*
2. *Operatio pueri, inſani, aut ebrij in iure æquiparatur, & in facto.*
3. *Dicterium celebre Solonis, & alterum Xergis.*
4. *Plinij verba difficillima explicantur.*
5. *Ratione carentes nullum negotium agere poſſunt, nec illorum actibus validitatem Princeps poteſt indulgere.*
6. *Quàm breue ſit, & irreparabile tempus, niſi imperio rationis vtamur.*

IN pueris, inſanis, ac ebrijs, quia ratio ſuffocata iacet, poteſtas, & imperium actionis, & operationis humanæ ſilet, quia ſenſu tantùm, imaginatione, & impulſu neceſſario, non autem ratione, & libertate ducuntur: nam 1

quod-

quodcumque fecerint, idem esse, ac sine facto personæ id accidisset, Pomponius scripsit, l. fin. ff. de admiñistr. tutor. *Sed si tutor soluendo non est, videndum erit, vtrum calamitas pupilli, an detrimentum petitoris esse debeat, per indeque haberi debet, ac si res fortuitu casu interijsset : similiter atque pupillus expers, quid ex hæreditate corrupisset, deminuisset, perdidisset,* & infra: *impunè autem puto admittendum, quod per furorem alicuius accidit, quomodo si casu aliquo, sine facto personæ id accidisset,* l. quod infans, vel furiosus. 60. ff. de rei vind. & Consultus Macer. ex Diuo Marco, & Commodo, l. 14. ff. de offic. Præsidis *Si tibi* (inquit) *liquidò compertum est Ælium Priscum in eo furore esse, vt continua mentis alienatione omni intellectu careat, nec subest vlla suspicio matrem ab eo simulatione dementiæ occisam: potest de modo pœnæ eius dissimulare, cùm satis furore ipso puniatur,* & Vlpianus idem, cum Pegaso respondit, l. sed etsi. 5. ff. ad leg. Aquil. *& ideò quærimus si furiosus damnum dederit, an legis Aquiliæ actio sit? & Pegasus negauit: quæ enim in eo culpa cùm suæ mentis non sit, & hoc est verissimum: cessabit igitur Aquiliæ actio, quemadmodum si quadrupes damnum dederit Aquilia cessat, aut si tegula ceciderit, sed si infans damnum dederit, idem erit dicendum, quod si impubes id fecerit Labeo ait: quia furti tenetur: teneri Aquilia eum, & hoc puto verum si sit iam iniuriæ capax,* alioquin nec damno tenetur: quia prorsus culpa caret, qui ratione vti potuit, nec abuti, & licèt si quadrupes pauperiem fecisse dicatur, actio ex lege. 12. tabularum descendat; quia noxia est, & pauperies dicitur damnum illud, quod sine iniuria facientis fit, *Nec enim potest animal iniuriam fecisse, quod sensu caret,* text. in l. 1. in princip. ff. si quadrup. paup. ratione possidentis, aut impellentis, non facientis impetu tutrinatur, ideoque si equs dolore concitatus calce petierit, cessat ista actio, & in factum datur, contra eum qui percussit equm, d. l. 1. §. 7. si quadrup. paup. itaque inferis sua tantummodò concita-

citatis feritate hæc actio locum non habet, & ideò si versus fugit, & sic nocuit, non potest quondam dominus conueniri, quia desinit dominus esse, vbi fera euasit, d. l. 1. §. 10. ex ratione tex. in l. 3. §. fin. de acq. rer. dom. Difficultatem verò sacræ legis Leuitici, cap. 20. qua cauetur *mulier, quæ accesserit ad omne pecus, & vult ascendi ab eo, interficietis mulierem, & pecus: morte moriantur, rei sunt*; dissoluit D. Augustinus, quæst. 74. c. 4. 15. quæst. 1. *quæritur*, inquit, *quomodo sit reum pecus, cùm sit irrationale, nec vllo modo legis capax*, & infra, *pecora credendum est iussa interfici, quia tali flagitio contaminata indignã refricant facti memoriam. Bruta enim animantia*, ait Damascenus, lib. 2. fidei Orthodox. *naturam non ducunt, sed à natura ducuntur*, ac proinde naturalem affectum comprimere, aut moderari nequeunt; sed naturæ quodam instinctu, & impulsu cùm primùm aliquid appetierint ad actionem feruntur: similiter homines, in quibus suffocata iacet ratio naturalis, aut propter ætatis defectum, aut ab ebrietate, siuè sopore silentium, aut furoris, & dementiæ infirmitatẽ, non tenentur, clem. si furiosus de homic. vbi, Cou. & Doctores; sed custodes eorum, vti consultus sensit, l. Diuus 14. ff. de off. præsidis, dicens: *Custodes furiosis non ad hoc solum adhibentur, ne quid perniciosius ipsi in se moliantur, sed ne alijs quoque exitio sint, quod si committatur non immerito culpæ eorum adscribendum est, qui negligentiores in officio fuerint, & hac causa tutores*, l. fin. ff. de adm. tutor. l. 3. C. de off. præf. Prætor. At verò in illis, quæ culpa est? quod maleficium? cum suæ mentis non sint, & omni intellectu, & ratiocinatione careant, & maleficium non operatio, sed *voluntas*, & *propositum delinquentis distinguat*, dixit iureconsultus, & imperator l. qui iniuriæ 53. in princ. de furtis, l. sancimus C. ad Trebe. *Quis enim sensus? quæ vox certa furioso esse intelligitur, aut infanti?* Quia nec aliud quidquam agere intelligũtur, cùm per omnia, & in omnibus, ablentis, & quiescentis

Universidad Carlos III de Madrid. Biblioteca

loco habeãtur: imo magis, quia in illis animus deeſt, quo ratum habere poſsint; niſi poſt pubertatem, vel reſipiſcentiam, conſenſum præſtent, l. 2. §. 3. ff. de iure Codicil. tex. ſic intellig. in l. 2. §. 1. ff. de proc. l. Pac. cent. 2. quæſt. 30. l. 3. l. 4. ff. de tributor. l. 7. § plane ff. quibus ex cauſ. inpoſ. d. l. 7. §. adeò 9. Antea enim actiones humanæ quarum homo dominus eſt rationis, & voluntatis imperio agitari nequeunt, quia ſui non ſunt, ideſt, non ſunt domini ſuarum actionum, quarũ virtus aut vitium ex libero profluit arbitrio, vti etiam agnouit conſultus reſpondens: *quia non ſe occultat qui ſuus non eſt.* In eo enim operationes tantum remanent communes cæteris animantibus, & quæ dicuntur propriæ, vt ridere, flere, loqui, rationiſque deliberationem præcurrunt; Pater Azor. lib. 1. inſt. mor. cap. 1. quæſt. 2. experientia communis eleganti Plinij authoritate exornatur. lib. 7. in princip. & in cap. 50. & 51. Hominem, (inquit) tantũ nudum, & in nuda humo natali die adijcit ad vagitus ſtatim, & ploratum, nullumque tot animalium, aliud ad lachrimas, & has protinus vitæ principio. At herculeriſus præcox ille, & celerrimus, ante quadrageſimũ diem nulli datur: ab hoc lucis rudimẽto, quæ ne feras, quidem inter nos genitas vincula excipiunt, & omnium membrorum nexus; itaque infeliciter natus, iacet manibus pedibuſque deuinctis flens animal. cæteris imperaturum, & à ſuplicijs vitam auſpicatur, vnam tãtùm ob culpam, quia natum eſt, heu dementiam ab hijs initijs exiſtimantium ad ſuperbiam ſe genitos: prima roboris ſpes, primumque temporis munus quadrupedi ſimilem facit, quando homini inceſſus? quando vox? quando firmum cibis os? quando palpitans vertex, ſummæ inter cuncta animalia imbecellitatis iudicium? tot morbi, totque medicinæ contra mala excogitatæ, & hæ quoq; ſubinde nouitatibus victæ; cætera ſentire naturam ſuam; alia pernicitatem vſurpare, alia præpetes volatus; alia vires, alia nare: hominem ſcire nihil,

nihil sine doctrina nō fari, nō ingredi, nō vesci breuiter, nō aliud naturæ sponte quam flere: itaque multi extitere, qui non nasci optimū censere, aut quā ocyssimè aboleri, & infra, incertum ac fragile nimirū est (inquit) hoc munus naturæ; quidquid datur nobis, malignū verò, & breue etiā in his quibus largissimè contingit vniuersum; vtique æui tempus intuentibus, quidquid æstimatione nocturnæ quie tis dimidio quisque spacio vitæ suæ viuit? pars æqua mor tisimilis exigitur, aut pœnæ, nisi contingit quies, nec re putantur infantiæ anni qui sensu carent, non senectæ in pœnam viuacis, tot periculorum genera, tot morbi, tot metus, tot curæ, totiès inuocata morte, vt nullum frequen tius sit votum; natura verò nihil hominibus breuitate vi tæ præstitit melius, hebescūt sensus membra torpent præ moritur visus, auditus, incessus, dentes etiam, ac ciborum instrumenta, & tamē vitæ hoc tempus anumeratur: ergo pro miraculo, & id solitarium reperitur exemplum Xeno philum musicum, centum, & quinque annis vixisse, sine vl lo corporis incommodo hactenus Plinius. Sed quid mise rabilius, quàm in morbo musico consumpsisse vitam? verè verus ille Philosophiæ discipulus Boecius Seuerinus, lib. 2. de consol. metro. 3 & Samariensis.

In luctum Cythara fit lachrimosa lyra,
O mala dulcedo subito quæ sumpta venenas,
Quæ vicè compensas mellea fella graui.

De fælicibus etiam dico cum Seneca, lib. de breui vita. *de istis me putas*, inquit, *diserere quorum in confesso mala sunt? Aspice illos ad quorum fælicitatem concurritur; bonis suis suf focantur, quam multis graues sunt diuitiæ: quam multorū elo quentia quotidiano ostentandi ingenij spacio sanguinem edu cit, quam multi continuis voluptatibus pallent? quam multis nihil liberum reliquit circumfussum clientium populus, ille istius cultor est, iste illius suus nemo. Quis est enim tam compo sitæ felicitatis*, ait Boecius, d. lib. 2. prof. 4. *vt non aliqua ex*

Universidad Carlos III de Madrid. Biblioteca

parte cum statas sui qualitate rixetur, felicitatem, & imperiam cupientibus, nihil medium inter summa, & præcipitia Vespasiani oratio est. Ita vt Atticarum legum legifer Solon dicere solebat: *Vrbes, atque oppida nil aliud esse quam humanarum erumnarum domicilia: quibus luctus merores tristitiæ mortalium quasi septis includuntur*, quæ Pater musarum fleuit, iliad 17.

Non enim quidquam est erumnosius homine,
Omnium quæ super terram, spirantque, & serpunt.

Et Xerges ille magnus, qui mare nauibus 1300. cooperum, totamque planiciem bellatorum multitudine oppletam, vti ex Herodoto, Anton. Coccius Sabellicus, Eneid. 3. lib. 2. centum septuaginta Myriades, ideſt, decies septies centena millia armatorum; & se fœlicem testatus lachrymas effudit: Artabanus autē duos diuersos animi affectus, & intempestiuas Regis lachrymas intuens, causam interogauit, cui Rex, inquit, *reputabam mecum quam breue, sit humanæ vitæ spatium subijtque nostræ sortis miseratio, quot tot hominum millia, quot subiecta oculis habemus, ante centesimum annum, sint ad vnum interitura. At miserabiliora his in vita patimur* (ait Artabanus) *quod in tam breui etiam vita nemo adeò felix extitit, cui non sæpius subierit animo moriendi voluntas: calamitates, & morbi crebrò vitam perturbant, efficiuntque, vt cùm breuis sit, nimis tamē longa multis videatur: eſique ob id mors optatissimum tristioris vitæ, perfugium. Sed quia dulci quodam rerum gustu hanc natura respersit, fit certè, vt minus illa homini videatur optabilis*, inde vix ratione gaudent, tot miserijs, & erumnijs dediti, vt exclamem cum Lirico.

Ah miser.
Quanta laboras in Charybdi!
Vix illigatum te triformi,
Pegasus expediet Chimeræ.

Tanta ratio non te excipit incolumem? sed in puericia iner-

Universidad Carlos III de Madrid. Biblioteca

inermis est infirmitatibus iacet, & tota vita infirmitas est.

Non vides, quanto moueas periclo
Pyrrhe getulæ catulos leænæ
Dura post paulò fugies inaudax
Prælia Victor.

Atque etiam morbus est per sapientiam mori, ex Plinij flo 4
re, lib. 7. cap. 50. morali ore libo, quia nisi qui sapit, non moritur, nisi qui viuit ratione, non moritur, qui peccat, sapit, qui sapit, peccat, ideò dictum est Iob, cap. 34. versic. 27. *Quasi industria recesserunt ab eo, & omnes vias, eius intelligere noluerunt*, ô quam pulchrè, & vtiliter, exclamat Seneca, de breu. vitæ in princip. *Nõ accepimus breuem vitam; sed fecimus, nec inopes eius; sed prodigi sumus, quid de rerũ natura querimur, si illa se benignè gessit? Vita si scias vti, longa est*, quam ignorantiam potentum, ac robustorum hominũ dixit Plato. lib. de bono. *bostilem, atque terrimam rem esse*, & philosophiæ fons Aristot. 1. pol. cap. 2. eructauit, hæc verba: *Homo verò arma tenet per innatam prudentiam, atq; virtutẽ, quibus plurimũ valet in contrariũ vti, itaq; impiissimũ, & immanissimũ est sine virtute, & ad libidinem, cibationemque deterrimum.* Sed ratione non abutitur, qui ea vti non potest, vti infans, insanus, dormiens, ebrius, & inde nullam prorsus voluntatem, nec consensum habere intelliguntur, cùm voluntas non feratur, nisi in prius cognitum: quod ita etiam de lure obseruatur, vt sciens etiam si non consentiat, dummodo expresse non contradicat, consensisse videatur: at verò ignorans, etiam si expresse consentiat, minimè consensisse dicitur, reg. qui tacet, de reg. iur. l. 1. §. 3 ff. de tribut. l. 8. §. vnius de option. leg. l. in negotijs de regul. iur. leg. qui ad certum ff. locati, patet infurioso, qui cùm ratiocinare non possit nulla, in eo voluntas reperitur tacita, nec expressa, nec po-

testas

teſtas ſe obligandi, ſiuè continua mẽtis cæcitate laboret, ſiuè intermiſione vacet: de ea enim operatione loquor, quæ à furente, dum furens eſt, actitatur, vel à dormiente, dũ imagine læthi ſopitur, vel ab ebrio, dum ebrius eſt, ex doctrina Patrum ciuilis ſapientiæ, l. qui teſtam. §. nec furioſus de teſtam. l. furioſum C. qui teſta. facer. poſ. ex terminato criticorum ſudore, in explicatione illius Plinij authoritatis; *atque etiam morbus eſt per ſapientiam mori*. Briſ. & Otm. de verbis iu. verbo furioſus, Catel. Cotta in memor. verbo furioſum Bud. in anot. ad l. 2. de ædil. ed. Balduſ. ad ll. 12. tab. cap. 23. Conan. 1. Com. cap. 14. Tiraq. de pœn. tẽp. Duen. reg. 259. Otman. lib. 4. obſ. cap. 6. Petr. Greg. lib. 13. Syntag. cap. 5. Alc. 2. par. cap. 16. Plin. lib. 7. cap. 50. Inanis eſt illorum labor, ibi enim Plinius loquitur de febribus trinis quadrinis ve, ſiuè intermitentibus, his verbis, *At hercule reliquis omnibus, per ſingulas membrorum partes qualiter nullis alijs animalibus certis peſtifer calor remeat horis aut rigor; neque horis modo, ſed diebus noctibuſque trinis quadrinisve etiam anno toto, atquè etiam morbus eſt per ſapientiam mori; morbis enim quoque quaſdam leges natura poſuit*, dicit per ſapientiam, quia videtur ſcire morbus, ſiquidem legem non tranſgreditur diuinæ voluntatis, qua certis horis calor remeit, immititur, aut rigor, vel etiam, dici poteſt, per ſapientiam mori, quia infirmus ſcit qua hora rigor vigeat, aut calor, & qua exalari ſoleat ſpiritus: & ſimiliter de furore intermitẽte intelligi poteſt, cũ furoris præſcriptã horam ſciens in intermiſsione præcauens viriliter agat, ſiquidem poſtea ab omni actione arcendus eſt tanquam ſi mortuus fuiſſet, tanquam ſi non eſſet. Ideo nec teſtamentum facere permittitur etiam ad pias cauſas, nec codicillos, nec matrimonium contrahere, nec adire hæreditatem, nec præſtare iuſſum, nec ſtipulationem concipere, nec quid aliud, d. l. furioſum C. qui teſtam. d. l. qui teſtamento §. nec furioſus. de teſtam. Bart. in l. 1. C. de Sac. Eccleſ.

Eccleſ.l.2.§ 3.de iur.Codicill. l. Patre furioſo ff. de his qui ſunt ſui, cap. dilectus.deſponſ.l. 16.de ritu nup.l. cum hæres l. Antiſtius de adquir. hered. tex.in §.8. inſt.de inu til. Nec illius actibus validitatem Princeps indulgere poteſt,cum nulla in eo inſit actio,nec imperium, nec poteſtas rationis,nec libertas, ac ſi ratione naturaliter expertis animalis operationem politicare intenderet:de infante loquitur Barboſa in l.fin. §.fin.de iudic. & de omnibus raciocinatione carentibus intelligi opus eſt: vnde nec homicidij tenetut,nec Parricidij, l. 12.de Siccarijs. *Cũ enim iniuria ex affectu facientis conſiſtat hos ſiuè pulſent, ſiuè conuicium dicant, iniuriam feciſſe non videri.* l.pen.in fine de Parrid. l.3.§. 1.& 2. de iniur. l. vnic.C. ſi quis Imp. maledic. Gotifr.in l.13.ff.de off. Preſ.Pinel.lib.1.p.1.C. de bon. matern. à n. 60. etiam in Principem: quæ enim in eo culpa? cum ſuæ mentis non ſit, ſæuire didicit, parere neſcit. *O ſeuæ nimium graueſque parcæ.* Ratione exulem miſerijs in uoluitis,miſera mors, & ſors vitalis! in ſuo inſcio innatat cruore. nê igitur in furore ſapientiam quæras, in vomitione prudentiam,in ſopore iuſtitiam,in infantia iudicium,ſatis enim,quibus aqua,& ignis rationis interdictum eſt,puniuntur. O numen! ô magnum! ô nullis terminis clauſum lumen rationis! quis qua fronte tanti numinis imperia negliget? Fatui verè qui vident,& non ſequũtur, qui miſeræ 6
vitæ ipſi ſibi cauſa ſunt, ò breuis,o nimis fera prudentia! in ratione præditis imprudentiam, *fugit irreparabile tempus*, & ignorantiam in œternum videmus puniendam: in cæteris miſeram infirmitatem cõcedimus,& hæc fœlicior,iuſtior enim eſt illa(tex.in cap.ſicut 47. diſt.) qua ſicut per inſaniam mente translatus, non iam rem ipſam vident,nõ legem naturalem ſciunt;ſed phantaſias ſuę paſsionis,iniuſtum iudicant rectum,& ſe non eſſe cœcos;ſed domum tenebroſam eſſe,vti fatua Senecæ,Epiſt.51.*neſcit* (inquit) *fatua eſſe ſe cœcam.ſubinde Pedagogum ſuum rogat, vt migret,*

ait

Universidad Carlos III de Madrid. Biblioteca

ait domum tenebrosam esse, nemo se auarum intelligit, nemo cupidum: si quando fatuo delectari volo, non est mihi longè quærendus, me rideo, non est extrinsecùs malum nostrum, in visceribus ipsis sedet, & ideò difficulter ad sanitatem venimus, quia nos ægrotare nescimus. Boecius, lib. 1. prof. 5. Exules enim sumus à salutari patria rationis, vbi ipsa princeps, & ideò sapientia, salus, quies, & iustitia est cuius in regno viuere, *hominis, inquam, potestate est* (ait Seneca) de remedijs fortuitor. *si sapiens est non peregrinatur, si stultus exulat*; irretiuntur miseria fugientes improbi teste. D. Augustino in Psal. 26. & 32. quia potestas ad effectum, supposito actu malo voluntatis, addit miseriam, vt docet D. Thomas 1.2. & Boecius Seuerinus erudito, & dulci metro, lib. 4. de consol. metr. 3.

Hæc venena potentius
Detrahunt hominem sibi
Dira, quæ penitus meant,
Nec nocentia corpori
Mentis vulnera sæuiunt.

CAPVT XII.

Vindicatur Iulianus, & Vlpianus è caligine furiosæ, in l. 2. §. voluntatem ff. solut. matrimon.

SVMMARIVM.

1. *Actio humana carentibus ratione denegatur.*
2. *Text. in l. 2. §. voluntatem ff soluto matrim. nouè elucidatur.*
3. *Non nolle quid propiè significet expenditur, & vtrùm inueniatur in furiosis.*

Universidad Carlos III de Madrid. Biblioteca

4. *In non nolle scientia exigitur,*
5. *Fictio iuris nunquam à iureconsultis inducta fuit, nec induci potuit.*
6. *Ratio genuina, & explicatio tex ind. §. voluntatem.*
7. *Lex supplet factum hominis in fauorem eius.*

HVmana actio, humana ratione carentibus dene- 1
gatur, viuentis tamen operatio permittitur; nec offendiculum, & si vulgare nobis est Iuliani, & Vlpiani oraculum, l. 2. §. voluntatem ff. soluto matrim. cuius varias intelligentias, iuris dederunt Sacerdotes, præcipuè Barbosa, in d. §. voluntatem num. 22. ex l. si furiosi C. de nuptijs, extollit *non contradictionem dari in furiosis*; 2
sed hæc intelligentia, non cuitata rota multiplici frangitur scopo. Primo ex seruata florentina lectione in regula, *eius est non nolle, qui potest, & velle*, l. 3. de reg. iu. interprete Ciceronе. 13. ad Atticum, *idque eũ non nolle mihi scripsisti*, ideſt non contradicere, at velle minimè conceditur in furioso; igitur nec non contradicere. Secundo *non nolle* est medium inter velle, & nolle: velle enim est approbatio expressa, & nolle est reprobatio expressa, l. 86. de hæred. inst. l. 24. C. de neg. gest. sed non nolle, siuè non contradicere attingit vtraque extrema voluntatis & noluntatis: non est voluntas, quia non approbat: nec noluntas, quia non reprobat. Sed vtriusque, quia non contradicit, *& nolle non dicimur quoties velle contrarium vtiliter non possumus, & nolle adire non videtur, qui non potest adire*, quia *nolle dicimur, cum contrarium possumus*, l. 4. ff. de acq. hered. l. 37. de reg. iu. l. 110, de cond. & dem. l. 17. §. 7. de ædi. ed. Itaquè qui dicit nõ contradictionem posse dari in furioso necessariò fatebitur approbationem, aut cõtradictionem inueniri: alioqui non dubitabit absentem posse non contradicere, & tam quam tacite approbantẽ admitti, quarè ergo si filia absens sit, non ex volũtate eius

Universidad Carlos III de Madrid. Biblioteca

id factum, cauendũq; rem ratam habituram à Patre, ex præ dicta Iuliani, & Vlpiani decisione: nam si non contradictio admittitur in eo, qui approbare non potest, nec contradicere: quis eam negauit in absente? & si non, quis fatebitur in furioso? contra statum eius prorsus rationis expertem & contra regulam iuris, *Furiosi vel eius cui bonis interdictum sit, nulla voluntas est, non videar*, enim, *consentire, qui sentire non possum*, l. furiosi 40. de reg. iur. l. 8. §. vnus, de opt. leg. rationem in filia absente, Vlp. in d. §. voluntatem, reddit, *quia scire eam exigimus*, vt videatur non cõtradicere: ergo scientia necessaria est, vt possit admitti non contradictio, patet his Cõsulti verbis: *scientiam hic eam accipimus quæ habet & voluntatem; sed vt ego puto non voluntatem, sed patientiam, non enim velle debet dominus, sed non nolle si igitur scit, & non protestatur, & cõtradicit, tenetur*, 4 l. 1. §. 3. ff. de tributoria. l. scientiam ff. ad leg. Aquil. igitur in non nolle scientia exigitur, Thryphon. in l. 12. §. 3. ff. de captiu. & post lim. Numquid plus scientiæ inuenitur in furioso, quàm in absente? minus profectò, imo nihil: hinc l. 7. §. adeò ff. quibus ex caus. in pos. asserit Vlpianus, *venditionem pati non posse furiosum, qui suus non est*. Qui autem dicit non contradictionem in furiosa dari, siuè non nolle, seu patientiam accipiti inuoluitur quæstione, vtrùm si pro furiosa presente fideiubeatur, mandati teneatur. Si negat irretitur, si fatetur dilabitur, l. 3. §. si passus ff. mãd. l. 18. & l. 53. ff. eo l. 6. de reg. iur. contra. l. Marcelus, & l. si à reo §. si à furioso ff. de fideiuss. quo pacto enim absque consensu mandatum? & absque mandato, si nullũ est quomodo actio? quis ergo ambigit receptam esse (nõ dicam) fictionem, vt absolutè docèt Duarenus, ibi. Fictio enim 5 nunquam à Iureconsultis inducta fuit, nec induci potuit; sed à Principe, vel à lege, quia illis tantum de iure respondere licebat, & iura publicè interpretari secundùm veriorem lectionem §. responsa, inst. de iur. natur. & ex lege 2. de

orig.

orig. iurisd. Duarenus lib. 1 disp. 6. cap. 11. Sarm. in l. Gallus §. si eius, n. 6. de liberis & posth. contrarius erubescit, coram Sarmiento, & aliis cõgestis à doctissimo Richardo nostro, in d. §. respõsa: quoniã prudẽtib⁹ à Cæsare ius respõdẽdi datũ fuit, ideſt facultas respõdẽdi de iure, vt congruat initio §. & grãmaticæ, nõ tamen poteſtas decernendi ius, quod eſt ſummũ imperiũ oſsibus Principis inhærens, velut ſupremæ iuriſdictionis apex, vt eruditè cõtra Ant. Fabrũ, & vulgò interpretũ reſoluit Carrã. de vera hu. nat. & leg. part. deſig. cap. 2. §. 1. inlat. 13. ſect. 2. à n. 244. arg. l. Gallus §. nunc de lege Velleia. de lib. & poſth. poſt doctiſsimum patricium virũ Dom. D. Ioann. Chumazero ſelect. diſput. 10. num. 6. Sed prædictam ſententiam Iuliani, & reſponſum à cæteris Conſultis; quia ex mente reſcripti diui Antonini libauit exemplo, & doctrina Galli Aquilij: 6
nam ex eo, quòd Imperator reſcripſerat *filiam niſi euidenter contradicat videri conſentire patri*, deprõpſit Iulianus, ex ſententia reſcripti, *quaſi ex voluntate filiæ videri experiri patrem, ſi furioſam filiam habeat.* Non quod furioſa habeat voluntatem tacitam, vel expreſſam veram, vel fictã contradictionem, aut non contradictionem, non velle, aut non nolle; ſed quia in ea lex vtiliter ſupplet actum voluntatis in fauorem eius, veluti, ſi diceret ex voluntate legis, *quaſi ex voluntate filiæ videri experiri patrem, ſi furioſam filiam habeat.* Reliqua verba, vt rationi conſentanea ſint, & argumentis adductis non contraria, interrogatiuè ſunt legenda, *nam vbi non poteſt per dementiam contradicere conſentire quis eam meritò credet?* vt legit Duarenus, ibi: licèt non ſic interpretatur: & quãuis, ſine interrogatione legantur non vellit, quia ſuppoſitis terminis habilibus; idem eſt ac ſi diceret, *meritò quis credet eam conſentire, ſi cõpos mentis fuiſſet* (nõ enim ad facta; ſed ad ius hæc verba referuntur, text. formalis in l. inuitum, ff. de ſeruit. vrban.) cum impetenda dote commodum verſetur furioſæ & ad-

ministratio, quæ omitti non debet á curatore, & Pater curator sit filiæ, & pro ea vtiliter agat, toto tit. ff. & C. de de cur. fur. l. cum furios. in princ. C. eo. l. cum dotem §. ité pater 9. ff. sol. matrim. ibi *vtiliter*: & quod lex suppleat factum hominis in fauorem eius, & iureconsulti interpretatione subtili in alios extendant casus ex sententia legis, patet vtrumquè ex cõstitutione Diui Marci, quæ supplet manumissionẽ, quã emptor serui impartiri tenebatur, l. 1. & 3. & toto tit. ff. qui sine manum. & C. si mancip. ita fuer. alien. & consulti duplicem induxere speciem: si donetur seruus, vt manumittatur: aut dominus ad manumissionem pretium accipiat. In prima Papianus, in l. 20. in princ. & & in §. puellam. de manum. & notabiliter illo verbo, *ex abundanti probat*, & Vlpianus, & Póponius, in l. 16. & 20 in pr. ff. de man. vind. & fatetur illis verbis *ex sententia constitutionis*. In secundò casu est etiam Vlpianus, d. l. 16. §. 1. ibi: *Aut pretio accepto*, & Paulus, l. 38. §. 1. ff. de lib. cau. ex presso oraculo, ibi: *cum idem etiam libertatem habiturus sit*, ideſt Patronus futurus sit, etiam si ille non manumitat; sed lex. Ita enim factum hominis representat lex, *vt perinde habeatur, ac si ab eo à quo debuit manumitti, manumissus esset*: his verbis Calistratus, in l. 3. ff. qui sine man. & ex eo Gotifredus pro miraculo expendit. Si igitur factum hominis, ita lex representat, vt factum ipsius hominis, etiam si ipsè facere posset, existimetur; quanto potius in fauoré furiosæ *ne tale infortunium detrimento aliquo prægrauetur*, arg. l. si furiosi in fine C. de nupt. & ita existimari, ac si ipsa furiosa non nolle elicere, vel tacite consentire posset: ideò dixit consultus, *quasi ex voluntate filiæ*, & imperator, *si pater nõ contradicat*, d. l. 2. §. volũtatem, d. l. furiosi: quoniã ex eo quod deficit ratio in furioso, omnes in eo actiones liberæ, ideſt humanæ deficiũt: ita nec Deo obligatur: & ei tãtunmodò adquiritur, ex quibus causis ignorãtibus nobis acquiritur. Sarm. lib. 2. Select. c. 1. n. 19. c. 15. de reg.

vbi

vbi Abb & DD. l. si à furioso. 24. de oblig. l. si à furioso. 12. de reb. cred.

CAPVT XIII.

Ratio obligationis ex re in his qui imperio rationis carent. Et lux datur Marcello, & Vlpiano, in abditis suæ legis, Marcellus, de fideiussor.

SVMMARIVM.

1. *Qui ratione carent, licèt consensu obligari non possint, ex re tamen obligantur.*
2. *Tex in l. Mercellus ff. de fideiussoribus eluescit.*
3. *Cujacÿ nota repellitur.*
4. *Quæstio, quarè in d. l. Marcellus, teneatur fideiussor, & ei non subueniatur, nouè expenditur.*
5. *Ex Paulo conducitur lux, vt eluceat oraculum Marcelli, & Vlpiani.*
6. *Dubitandi rationes opponuntur, & ilicò euanescunt.*
7. *Vltima ratio dubitandi eliminatur decis. tex. in l. quod dictum 32. ff. de pactis, & l. 12. tit. 12. part. 5.*

QVamuis hi, qui ratione carent, consensu obligari non possint l. si a furioso 12. de reb. cred. ex re tamen obligantur, veluti absentes, & ignorãtes, non solùm naturaliter; sed etiã ciuiliter, humana filogizante ratione apud Diuũ Pĩũ, l. nã hoc natura 14 iuncta l. 13. de cond. indeb. l. Nesenius l. 3. §. pupillus, vbi Ant. Fab. ff. de neg. gestis: & ideò datur actio negotiorum gestorũ, quæ prætoria est ex æquitate, quæ in subsidiũ cessãte alia actione, l. itẽ 5. in princ. de neg. gest. cõceditur, quia nõ inspicit consensum; sed quid, & cui gestum sit, è consultis dico, l. 32. §. 1. ibi Anton. Fab. de negot. gest. *ignorante virgine mater à sponso filiæ res donatas suscepit, quia manda-* 1

mandati, vel depositi cesat actio negotiorum gestorum, agitur, & iterum, *fideiussori negotiorum gestorum est actio, si pro absente fideiusserit, nam mandati actio non potest competere, cùm non antecesserit mandatum.* l. ex mandato, §. 1. ff. mandati, l. 2. & 11, de negot. gestis: Hinc illucescit interpretatio oraculi obscurissimi Marcelli, & Vlpiani, in l. Marcellus ff. de fideiussoribus, vbi: qui pro furioso, prodigo, & pupillo; sine tutoris authoritate obligato fideiusserit, *magis est, vt ei non subueniatur quoniam bis mandati actio non competit*, quia ratione absente consensus nō inuenitur, & absque consensu obligatio nō generatur, nec actio nascitur, l. 2. de oblig. l. 1. ff. mandat. Magno hic molimine opus est, & ingenio: iuris enim nautas videmus naufragos solicitato potius, quàm euitato scopo: Primô verbi illius relationis, *bis*, quoniam, *ei* (ideſt fideiussori) *mandati actio non competit*, legi oportere videtur ex nota Cujacij, in l. 19. de vsurpat. errat quippè, quia si fideiusori tantum negaretur: illatio præmanibus est: ergo mandatoribus furioso, prodigo, & pupillo competit directa: quoniã de duobus appositis, negato vno, alterum fatetur, vt communiter deduci tur ex illo Ioann. *Demonium non habeo*, cap. 5. de præsump. Ioann. cap. 8. & possit ab vna dumtaxat parte iudicium dari, & ab altera claudicare mandati, l. potest 41. ff. mandat. Qua præcauta obiectione, dixit Vlpianus, quoniam his, ideſt, fideiussori, furioso, prodigo, & pupillo; nec contraria, nec directa mandati actio competit; quoniam mandatum prorsus nullum est, ex defectu rationis, & sic consensus veri, & legitimi, l. si areo §. si a furioso ff. de fideiussor. prodigus etiam cui bonis legitime interdictũ est, nec naturaliter obligatur, quia ratio corrupta (quæ illi inest) non est ratio, vt docet Diuus Thomas, 2. dist. 24. q. 3. 3. & 1. 2. quæst. 1. ar. 1. Azor. lib. 1. mor. cap. 1. sicut falsus syllogismus non est syllogismus: non enim operatur secundùm actionem humanam, cuius homo dominus est ex ratio-

tio-

tionis simul, & voluntatis imperio. *Falluntur quibus luxuria speciem liberalitatis imponit: perdere iste sciet, donare nescit* dixit Piso apud Cornelium Tacit. lib. 1. hist. sed quasi per insaniam mente translatus, non iam res ipsas videt, non consensum naturalem, & legem scit, iniustũ iudicat rectum videns tãtũ phantasias suæ passionis furore concupiscentiæ astrictus, & alligatus, ac opinione sensuum falsa captiuus (cap. sicut hi. c. virũ 47. distinct. cap. benè in princ. 96. dist. cap. nihil. 83. distin. Firmianus de Iustitia cap. 18. Plato. de scientia) qua *instar imperiti sagittarij à signo procul aberrat.* Hoc igitur lex positiua declarat, quando bonis prodigo interdicit vti, imò abuti: tunc enim non solùm ratio politica; sed etiam ratio naturalis legifer est, ea enim humana consensus actio dicitur, cui cõgruit homini secundùm rationis, & volũtatis facultatem, 4
Pater Azor lib. 1. inst. mor. cap. 1.

Sed nũc quæritur, quare teneatur fideiussor, & ei non subeniatur: ad cuius quæstionis apicem non trita athetarum; via ascendere conabor, nec infeliciùs sisto pedem sciens fideiussorem adhiberi omni obligationi posse; siuè re, siuè verbis, siuè consensu, l. græcè 8. § 1 ff. de fideiuss. & ex re pupillum, furiosum, & prodigum obligari naturaliter, & ciuiliter omnes critici contestantur, Donel. & Cuja. in l. is cui bonis ff. de verb. oblig. Pichar. in § furiosus, de inutilib. à n. 16. ex verbis autem, & consensu nullatenus: quia, & stipulatio, quæ verbis fit nisi habeat consensum nulla est, nullaque adhæret fideiussio, *non solum ipsa* (inquit Gaius) *sed ne negotium quidem cuius gestum intelligitur*, l. fideiussor, § fideiussor, de fideiuss. At vero quando furiosus ex re obligatur iure obligatus est, ne alioquim contra naturam alterius iactura locupletetur, l. nam hoc natura, de cond. indeb. vbi nulla consensus ratio, sed acquisitionis requiritur: & licèt ex illis verbis, *iure obligato* prælibatur intelligi posse, non solùm quando furiosus, ex re obligatus est,

sed

ſed etiam quandò ante furorem ex qualibet cauſa iure fuerat aſtrictus, & iam furore laborante fideiuſſor interuenerit, nam cum fideiubere, vel intercedere non ſit actus furioſi; ſed fideiuſſoris, ideò requirit tantùm præſuppoſitam obligationem, l. ſtipulatus 6. l. qui contra ff. de fideiuſ. ſèd Marcellus in ſua ſpecie hac generali intelligentia nō vtitur, quia quandò vna diſpoſitio refertur ad plures, pariformiter intelligitur, l. iam hoc iure de vulg. l. hæreditatem. C. de impub. & hæc anticipatio non poteſt concedi in pupillo ſine tutoris authoritate obligato: cùm abſque ea non obligetur ciuiliter, nec naturaliter, niſi ex re: & hæc eſt ratio quarè Marcelli oraculo in pupillo debeat conſtitui non tantum naturalis; ſed etiam ciuilis obligatio: quoniam naturalis in furioſo, & prodigo niſi ante furorem, vel interdictionem minimè inuenitur ex defectu rationis: itaque de omnibus æqualiter intelligi oportet. Quo pacto igitur hìc reſtitutio concederetur? ſi abſque tutoris, & curatoris authoritate ex re obligati concedimus, ſi locupletiores facti ſunt, æquitate naturali adſtipulata, & fulcita authoritate reſcripti Diui pij, l. naturaliter in fine cùm l. ſeq. de cond. indebiti, l. 3 §. pupillus l. ſi pupilli, l. Neſenius 34. l. litis 37. ff. de neg. geſtis, quia reſtitutio non datur, niſi cauſa cognita propter inconſultam facilitatem, cùm capti ſunt, & niſi manifeſta circunſcriptio ſit, & negligenter in ea cauſa verſati ſunt. l. quòd ſi minor 24. §. 1. l. in cauſæ 13. in prin. ff. de minor. toto tit. ff. ex qq. cauſis maiores. *nam minor captus neutri tenebitur*, & vbi nulla obligatio nulla reſtitutio, ideò non datur niſi minoribus adultis, aut maioribus ex cauſa, non tamen pupillis, & furioſis, & his quibus nulla adhęret obligatio, nam his iuris ciuilis, & cōmuni ſubuenitur auxilio nō reſtitutione *vbi concractus non valet* (inquit Vlpianus) lib. 11. ad edictum, in l. in cauſæ la. 2. ff. de minor. *pro certò prætorem ſe non debere interponere, ſatis enim ipſo iure muniti ſunt*; ex quibus

bus patet ineptissimum fore eãdem dubitandi rationem repetere in oraculo Marcelli, quam in eodem lib. 11. ad edictum relatam in l. in causæ la. 1. y la 2. decideratitaque alia diuersa, & subtilior dubitandi ratio coegit Vlpianum Marcelli authoritate respondere: Paulus tamen in l. ergo 22. §. 2. ff. ex quibus caus. mai. mihi quasi condonatum, quo è tenebroso huius legis labyrintho remeare queam explicans, *Quod edictum etiam ad furiosos, & infantes, & ciuitates pertinere Labeo ait*, quæ verba regulâ iuris ex præcedentibus interpretanda sunt, l. si seruus plurium de leg. 1. *Sicut igitur damnosos adsciti non vult, ita lucrum facere non patitur*, de secunda parte edicti loquitur Paulus, & in lege præcedenti Vlpianus, quæ edita est cõtra absentes, ciuitates, & furiosos, & alios; nè absentia, furor, infantia, aut priuilegium lucrũ eis ex alieno adferat damno, contra æquitatis rationẽ, & mentem edicti, quòd rei duntaxat persequendæ gratia, non lucri faciẽdi ex alterius pœna, & damno impartitur, vt rectè notat Ant. Faber. l. sciendum. 18. ex quib. caus. mai. & cauendũ monet à Bart. in l. Æmil. 38. ff. de minor. & vulgo interpretũ. Prima dubitãdi ratio sese offert ex eo, quod siquis, vt cõtrahatur cũ minore, fideiusserit pro eo, scribit Vlpian. lib. 11. ad edictũ non solũ denegandã esse mandati actionẽ, & restitutionẽ ex persona minoris, sed minori subueniri aduersus creditorẽ, & fideiussorẽ, & hoc verũ, quia ab vtroque captus, & circũscriptus videtur, & sic, causa cognita, neutri tenetur, & aduersus vtrũque restituitur: quid ergo erit si nullo sit cõtractus, vt puta cũ pupillo, sine tutoris authoritate initus, nec locupletior factus sit, idest nec ex re obligatus? tunc respõdit ex Lab. & Ofil. cessare partes Prætoris: ipso enim iure munitus est, & sic nõ est quæstio de fideiuss. vbi nulla est obligatio, quid erit, si pro pupillo, sine tutoris author. obligato, idest locupletiore facto ex re, & similiter pro furioso, vel prodigo fideiussor interueniat? quia tunc 6

Universidad Carlos III de Madrid. Biblioteca

fideiussor, non fuit causa, vt obligarentur: iam enim obligati erant: magis est, vt eis nõ subueniatur: quia aut perfectè, aut nullatenus obligantur, & ex re perfectè obligati sunt, licèt ex mandato minimè: quia ratione cirent. Quid autem de fideiussore, quem fatemur obligatum; veræ enim obligationi adhesit. Nũquid subuenietur ea parte edicti maiorũ, quàm contra infantes, & furiosos, & ciuitates pertinere Labeo ait: ex eo, quia sicut damno eos adfici non vult: ita lucrum facere non patitur, & pateretur si pro pupillo furioso, vel prodigo, inter obligato, fideiussor soluat. Respondit Vlpianus ex Marcelli sententia, *Magis est, vt si non subueniatur, quoniam his mãdati actio, non competit.* Sed audi, mi Vlpiane, quia licèt non competat mandati actio fideiussori, ex lucro restitutio dabitur contra illos, quos lucrum acquirere iactura alterius, nec natura patitur, nec Prætor. Respondet non dari, quoniam his mandati actio non competit, quę verba pluribus scatent misterijs: nam idem est, ac si diceret, si actio illis non competit, quid lucri faciunt? id est, si illis fideiussor non obligatur, sed creditori, quid lucri sentiunt? si ex tali fideiusione nihil adquirunt: quia potius corroboratio, quã dissolutio obligationis est: quid lucri sibi adferunt? nihil profectò, sed audias rogo, Domine mi: Diximus pupillos, & furiosos haberi pro absentibus, & ignorantibus, sed cõtra hos si aliquis pro eis fideiusserit dari negotiorum gestorum actionem, cùm mandati cesset, explorati iuris est, l. 2. l. item. §. l. 11. l. fideiussor. §. 1. de negot. gest. l. ex mandato, §. 1. ff. mandati, igitur licèt prædictis non eõpetat mandati actio, vtili tamen negotiorũ gestorũ subueniri oportet. Respondet: *Magis est, vt si non subueniatur,* quia negotiorum gestorum vtilitas in eo ve. satur, ne quis absens detrimentũ patiatur, non tamen quòd lucrum acquirat, l. 1. & toto titulo de negot. gest. At verò in pupillo furioso, & prodigo, plus requiritur, scilicet, quòd locupletio-

tio-

tiores facti sint, l. 3. §. pupillus, l. si pupilli. 6. l. citis de negg. gestis, non enim ex facto alterius, vt absentes, sed ex se acquisita obligantur æquitate naturæ rescripta à Diuo Pio, maximè quia fideiubendi pro absente, ita negotiorum gestorum actio competit, si putauit ab absente ratũ fore: cæterum si donandi animo fideiusserit, nec mandati, nec negotiorum gestorum actionem habet, l. 5. vers. idem de negot. gest. text. formalis in l. 4. ff. eo. l. 6. §. si passus, ff. mand. l. siquis reum. 5. in princip. de lib. leg. l. si filius. 12. C. de negot. gest. quis ergo à furioso prodigo, & pupillo mandatum esse fideiubendi putauit? nemo, nisi qui etiam mente careat, quis igitur pro his, nisi donandi animo fideiubeat? nullus; ergo nemo iam dubitabit in specie nostra, nulla prorsus fideiussori actione subueniri. *Quoniã his mandati actio non competit*, ex aperta iuris decisione huiusmodi, l. quod dictum. 32. ff. de pactis, l. 59. in princip. ff. mand. *Igitur si mandati actio nulla sit, fortè si donandi animo fideiusserit, dicendum est, non prodesse exceptionem fideiussori.* Sed audi iterum, iurisperite, nec latiori gyro ratio humana circunscribitur, fateris quidem illos si fideiussione locupletiores facti sint obligari, si enim fideiussor soluat pro his, licèt ex actu fideiubendi non competat illi actio, ex solutione tamen competere à rescripto Diui Pij prælibamus, *Sed pupillus in quantum locupletior, vt potè debito liberatus, vtili actione tenebitur*, l. si pupilli in fine, ff. de solut. species enim acquirendi est, l. species. 11. de acceptil. siue alio modo satisfecerit: nam satisfactio pro solutione est, & soluendo quisque pro alio, licet inuito, & ignorante, liberat eum, l. vbi. 24. l. 52. l. 54. ff. de solut. *Naturalis enim* (inquit Gaius) *simul, & ciuilis ratio suasit alienam conditionem meliorem quidem etiam ignoranti, & inuiti nos facere posse deteriorem non posse*, l. soluendo. 30. de negot. gest. nec inspicitur à quo soluatur, sed si debitum solutum sit, l. soluere 51. l. solutione. 23. ff. de sol. l. 4. tit. 14. 7

Universidad Carlos III de Madrid. Biblioteca

Partit. 5. l. vt fideiussor. 39. de fideiuss. licèt contra sit text. in l. 28. ff. mand. l. Stichũ, §. 10. de solut. Ne igitur hęc subtilis veritas in tenebris relinquatur, respondet Vlpian. fateor furiosum, prodigũ, & pupillum solutione fideiussoris locupletari: quia liberantur; & nego teneri, *Quoniam his mandati actio non competit*, quia nullum fuit mandatum, ratione deficiente: nec negotiorum gestorum, quare donandi animo fideiusserit, nec vtilis ex rescripto Diui Pij: quia licèt locupletentur solutione, non tamen contra naturam, sed potius secundùm illam: quia nihil tam naturale est, quàm voluntatem domini volentis rem suam in alium transferri ratam haberi, & qui pro furioso, prodigo, & pupillo sciens vitium fideiubet, & soluit, semper voluntate donandi intelligitur fideiubere, & soluere, & sic nullatenus subuenitur, ita vt licèt non sit regulare ius in cæteris perfectæ rationis, si tamen animus donandi fideiussoris percipi possit, reus non tenetur mandati, nec alia actione, quamuis pecuniâ fideiussoris liberetur, quæ doctrina lex est, apud Hispanos à sapiẽte suo, l. 12. tit. 12. Partit. 5. *E quando pagare el fiador por aquel à quien fia, tenudo es el otro de gelo dar, è fazer cobrar: fueras ende en tres casos* (quibus addit Quartum Gregorius ex l. tribus, ff. de vsufruct. earum rerum quæ, vsu. cons.) *El primero es, si el que entra fiador paga el debdo, è lo faze con entencion de ledar por el otro aquello que fia, ò de lo pagar por el, para nunca gelo demandar.* Et inde abstersa nubeculis videtur decisio Marcelli, & Vlpiani, & via imperij rationis strata nitet.

L. I.

LIBER TERTIVS.

De dominio rationis.

CAPVT I.

Imperium rationis est origo dominij, & radix.

SVMMARIVM.

1. *Ratio, & origo dominij.*
2. *Homo vniuersæ creaturæ præpositus est dominus, & vnde, & quarè.*
3. *Dominium quid sit in genere generalissimo.*
4. *Homo est rerum omnium mensura, & finis, & in eo quodammodo sunt omnia.*
5. *Cete, sicut cætera omnia terræ, & maris, dominio hominis sunt subiecta.*

EX eo quod homo sit dominus suarum actionum exurgit ratio, & origo dominij, quod in alias res habet externas: quia opus suũ intra, & extra tenet ad imaginem, & similitudinem Dei, & exinde ius illi debetur, vt cæterarum rerum, vniuersæque creaturæ dominus sit, Genes. capit. 1. ita docet Diuus Thomas 1. 2. quæstione 1. & defendit Soto libro 4. quæstione 1. articulo 2. de iustitia, nam licèt Angeli creati fuerint ad signaculum similitudinis Dei & inde gaudeant dominio, & imperio suarum actionum naturalium, non tamen mundi huius, rerumque corporalium, quarum Prouinciam soli homini traditam, & commissam fuisse testatur Sacra pagina, Genes. c. 1. ibi

Universidad Carlos III de Madrid. Biblioteca

Dominamini piſcibus maris, volatilibus cœli, & vniuerſis animantibus, &c. & ibi, *Vt præſit piſcibus maris*, ſicut Proconſul, ſeu Præſes, qui in ea Prouincia maius imperium habet omnibus poſt Principem, argument. l. 8. ff. de officio Proconſ. l. 4. de offic. Præſidis. *Dedit* (enim) *illi poteſtatem eorum, quæ ſunt ſuper terram*, Eccleſ. cap. 17. *& poſuit timorem eius ſuper omnem carnem, & dominus eſt beſtiarum, & volatilium: omnia* (denique canit Pſalmiſer, Pſalm. 8.) *ſubiecisti ſub pedibus eius oues, & boues vniuerſas inſuper, & pecora campi*, & Iacobus frater domini capit. 3. *Omnis* (inquit) *natura beſtiarum, & volucrum, & ſerpentium domantur, & domita ſunt à natura humana*, & ſic in cap. 1. Geneſios verbum illud *præſit* mutuatur cũ illo *dominamini, & ſubijcite*. Quia vniuerſæ creaturæ imperandi ſubijciendi, & dominandi poteſtas connata, cum ratione homini eſt. Vnde ſi homo eſt dominus rerum omnium, quæ ſuper terram Deus poſuit; Angelus non eſt earum dominus ex ratione iuris apud Conſultos; l. ſi vt certo, §. ſi duobus, ff. com. mod. quia duo in ſolidum dominium habere nequeunt; nec ordine Hierarchiæ, quoniam Angelus, nõ eſt dominus humanæ naturæ, & inde, nec rerum quæ dominio eius ſuppoſita ſunt: ſolius enim *Domini eſt terra, & plenitudo eius*, Pſalm. 23. quia hominis Dominus eſt, & omnium, *Orbis terrarum, & vniuerſi qui habitant in eo*. Cuius vicem ſungitur homo ſuper terram, per reſcriptum intellectus, rationis, & voluntatis ad imaginem, & ſimilitudinem Dei humanæ naturæ impreſſum, docet Soto lib. 4. de iuſt. quæſt. 1. art. 2. Benedict. Peterius lib. 4. ſuper Geneſ. cap. 1. verſ. 26. ait, hoc vno maximè argumento declarare voluit Moſes, hominem eſſe factum ad imaginem Dei, quod ſicut Deus toti mundo præſidet, & dominatur, ita quaſi Dei Vicarius cunctis animalibus præeſt, ac dominatur homo, quid? quod ea ipſa re, qua imaginem Dei gerit, homo etiam præſidet, & dominatur animalibus, mẽ-

rem

rem dico, rationem, & prudentiam: non enim animalibus præstat homo proceritate corporis, sed ratione, &c. & etiam dico iure subscribo, quia cum homo plasmatus fuerit duplici parte rationis particeps, & rationis expers, & hæc illi sit subiecta, ac corpus animæ, tanquam inferior superiori, omne illud quod naturaliter parti subiectæ cõmunicatur, naturaliter, & sic necessariò subijcitur superiori. Inde homo, non subijcitur Angelo (licèt Angelus sit maioris potestatis) quia homo non habet partem communem cum Angelo, quæ subijciatur ei, si iste ad signaculum, ille ad imaginem creatus fuit, & sic lumen rationis, & voluntatis libertas æqualis est, & sui iuris: quia par in parem, non habet imperium, l. ille à quo, §. intempestiuum ad Trebellian. solum autem intelligentia, & ratio Angeli velocior est, tanquam vinculis corporeis absoluta, hominis verò tardior, velut corporis perpetua funiculis: quod non inducit imperium, nec subiectionem: deinde quia homo non propter Angelos, sed propter ipsum solum Deum creatus est; imò Angeli, quasi administratorij, & consiliarij positi sunt; solus igitur homo dominus est suarum actionum: & quia omne, quod corpus est in homine subijcitur rationi eius, inde etiam omne, quod corpus est in mundo; quoniam eam partem, quę in homine partialis est, & communis cum cæteris rebus vniuersi corporalibus, inferiorem esse, & imperio, ac dominio rationis subiectam patet, vnde ex D. Thoma inquit Bañez in 2. dist. 16. art. 3. ad. 1. part. quæst. 96. art. 3. hominem in rebus corporalibus adsimilari Deo, magis quàm Angelum, & inde homo illarum dominus est. *Opera tua Domine* (exclamat Psalmista. 103.) *omnia in sapientia fecisti*, & Apostolus ad Roman. cap. 1. *quæ autem à Deo sunt ordinata sunt* Hinc naturâ ipsâ, quia homo dominus est suarum actionum, est etiam reliquarum rerum, quæ aut communia sunt, aut actionibus ipsis subiectantur, quoniam vt docent

cent D. Augustinus lib. 83. quæst. & D. Thom. 1. 2. quæst. 16. aliqua re nõ potest quis vti, nisi rationis particeps: vti enim, & imperare est, rem in finem dirigere, & ordinare: itaque alienissimum est à ratione carentibus agere, siue operari propter finem: sed motu, seu instinctu naturæ: vnde super terram solus homo dominij gloria, & honore coronatus imperij est ab vniuersalium Creatore, & Domino, *Bruta enim* (ait Philosophus lib. 10. ethic. cap. &) *animalia, neque iustitiæ capacia sunt, neque iniuriæ, neque quam non cognoscunt fœlicitatis, quia libera non sunt*, addit (Soto lib. 4. de iustit. quæst. 1. art. 2) & inde, nec sui iuris: ergo alieno iuri subiecta esse infertur necessariò, vt om-
3 nia ordinata sint. Præmittendum autem est dominium (præter iurisperitorum diffinitionem, de qua in cap. seq.) multipliciter intelligi, & in genere idem esse, quod ius naturale, & diuinum, ac gentium, & ciuile: ius enim tanquam dominium, idem est quod potestas, & hæc, vel est virtus naturaliter insita, & debita, siue principium essendi, & operandi, commune omnibus rebus iuxta genus suum, veluti virtus terræ germinandi herbam, & similis similem generandi in genere suo, vt dixi supra ex Genes. cap. 1. vel est potestas, quæ tantùm prouenit à radice mẽtis humanæ, siue ab imagine, & similitudine Dei, quæ exinde vetè dicitur dominium: quia homo sui iuris est, & dominus suarum actionum: operatur enim ratione, & voluntate ex electione, & cognitione: inde potestas, & dominium eius ad imaginem, & similitudinem Dei est, & præses præfectus in terris recto ordine naturæ, & progressu procedendi de perfecto ad perfectius, vnde imperfectiora cedunt in vsum perfectorum: plantæ enim vtuntur terra ad sui nutrimentum, animalia verò plantis, & homo plantis, & animalibus, cùm quibus omnibus com-
= mune habet, quod subiectũ in se ipso est superiori, & perfectiori parti rationi, ita *In homine quodãmodo sunt omnia,*

in-

inquit Bañes, supra art. 2. in respons. *& omnium rerum mensura, finisque dicitur homo*, à Platone, de scientia, & alijs Philosophis: inde dominium habet super omnia animalia, & cætera ex elementis compesita, & coadunata ex iure illo ei debitum, imô insitum, l. 1. ff. de acq. rerum domin. *quod antiquitus, cum ipso genere humano proditum est*, idest, rationis iure, & imperio in ipsamet natura humana innato. Hinc Philosphus, 1. polit. cap. 5. asserit, *Venationem silvestrium animalium esse iustam, & naturalem, quia per eam homo vindicat sibi, quod est naturaliter suum*: & Diuus Gregorius, lib. 21. cap. 11. *hominem ipsa natura prælatum esse omnibus animantibus*, & ideò iure naturæ dominio eius subduntur, & ex proprietate etiam naturali, quia in animalibus inuenitur secundùm æstimationem naturalem, quædam participatio prudentiæ ad aliquos particulares actus: in homine verò vniversalis, quæ est ratio omnium agibilium, & omne, quod est per participationem, subditur ei quod est per essentiam, & vniuersaliter: ita defendit Bañes ad primam partem Diui Thomæ quæstione nònagesima sexta art. 1. & contrarijs obiection bus respõdet, & ex finali causa, quia, vt docet Diuus Chrysostomus, super Mattæhum; *animalia fecit Deus propter hominem; hominem propter se ipsum: ergo animalibus ministrat propter hominem, quomodo hominibus non ministrabit propter ipsum?* Cognouit M. Tullius de natura Deorum 2. pulchra naturæ gradatione. *Omnia aliorum causa* (inquit) *sunt generata, vt fruges, atque fructus quos terra gignit animalium causa: animantes autem hominum, vt equum vehendi causa, arandi bouem, venandi, & custodiendi canem*, & iterum *cunctas animantes propter hominem esse generatas, earumque complures sine hominis rectione, & curatione, aut nullo modo esse, aut bene esse non posse*. Et rursus ex radice rationis expungit: *Quorum igitur causa quis dixerit* (ait) *effectum esse mundum? eorum scilicet animantium, quæ ratione vtuntur, hi sunt Dij, & homines, quibus profectò*

Universidad Carlos III de Madrid. Biblioteca

nil est melius, & Seneca de ira cap. 27. *Non enim nos causa mundo sumus, hiemem, æstatemque referendi suas ista leges habent, quibus diuina exercentur, nimis nos suscipimus si digni nobis videmur, propter quos tanta mouentur*, cui subscribit Lactantius de ira Dei cap. 13. *Vera est sententia* (inquit) *stoicorum qui aiunt nostra causa mundum esse constructum, omnia enim quibus constat, quæque genera ex se mundus ad vtilitatem hominis acommodata sunt.* De fide denique etiam fatemur, & Creatorem ipsum Deum homini dedisse potestatem, & dominium eorum, quæ sunt super terram, Sacris litteris instructi edoctique, Genes. cap. 1. & 2. Eccleſiast. cap. 17. Psalm. 8. præter rationem ipsam, quà naturaliter in veritatem conducimur, & refellitur Theodoretus, super Genes. quæstione 20. eruditione Basilij, homil. 10. in Genes. ille enim negat cetos esse factos propter hominem, & eius dominio subiectos: iste autem verius affirmat. Dicens *cum tantam indultæ tibi rationis vim perspicias, nihil non meantem ac penetrantem omniaque peruincentem, quomodò non etiam imperitandi Balenis facultas tibi suppetet, &c? Si omnia enim subiecit, nihil dimisit non subiectum ei, dominamini dixit vniuersis animantibus.* Exornat Benedictus Pererius docto quidem calamo. super Genes. cap. 1.

(.)

CAPI-

CAPVT II.

Ratio dominij in naturæ perfectione, & corruptione, ac ethimologia, & diffinitio.

SVMMARIVM.

1. *Dominium quid esset in natura incorrupta, & quid sit in natura corrupta.*
2. *Dominij definitio apud iurisperitos rectè etiam circunscribit naturam dominij homini condonati in Paradiso.*
3. *Alberti Gentilis opinio reijcitur.*
4. *Iustinianus explanatur in §. singulorum inst. de rerum diuis.*
5. *Necessitates à natura euenire nequeunt.*
6. *In dominio datur relatio dominandi, & subijciendi.*
7. *Dominium est propia actio homini insita dominandi, & propietas est propia passio rei subiectæ dominio hominis.*
8. *Antonij Gomez, & Bartol dicterium eliminatur.*
9. *Obedientialis rerum motus homini quarè sublatus.*
10. *Tex. in leg. 3. in fine, & l. 5. in prin. ff. de acqui. rerum dem. cum l. 44. ff. eod. & §. ferè inst. eod. explicantur.*

INquirere autem opportet, quid fuit dominium in natura incorrupta, quid verò est in natura corrupta, & logicorum tramite ab ethimologia, & diffinitione exordiens, dominium à domino, & dominum à domo,

Universidad Carlos III de Madrid. Biblioteca

& domum à verbo græco *Domao*, ideſt ſubijcio. (Vnde, ni fallor, apud Hiſpanos, *domar*, hoc eſt ſubijcere) ſuboriri didici à Petro Gregorio 1. Sintag. 12. num. 2 Cujacio 10. obſ. 16. Rober. 3. ſent. 18. Oſualdo in notis ad Don. lib. 9. cap. 8. litt. A. Macrobio 1. Satur. num. 15. & alijs: *O domus antiqua* (dixit Poeta Ennius) *quam diſpari domino dominaris!* Inde, quia in mundi huius domo poſt Deũ ſolus homo conſtitutus eſt præſes, & pater familias, cum libera facultate diſponendi de omnibus rebus, quæ ſub cælo ſunt, dominus merito nuncupatur, & facultas, & poteſtas eius prædicta dominiũ. Vel, vt Alciatus in l. 17. §. differentia, de acquir. poſſeſſ. notat, deducitur ab alio verbo græco, quòd ſignificat *Dare*, quia ex eo quod omnia data ſũt homini, ſub dominio eius iacent. *Ecce dedi vobis omnem herbam*, Geneſ. cap. 1. & Eccleſiaſtici c. 17. *Dedit illi poteſtatem eorum, quæ ſunt ſuper terram*, vel vt Giſanius obſeruat à verbo vetuſto *Dubenus*, quod ab Hæbreo *Thob* dicitur, quo bona ſignificantur, quia omnia, quæ Deus fecerat valde bona, dedit, & ſubiecit homini, quæ non ſolum eſſent bona in perfectione ſua; ſed etiam in finem vtilitatis, & vſus humanæ naturæ, cui creata fuerunt. *Vt ſint vobis in eſcam, vt habeant ad veſcendum*, Geneſ. 1. Hinc qui Dominus eſt rerum plurimarum, dicitur apud nos, *es ſeñor de muchos bienes, o tiene muchos bienes*; & res quæ ſub dominio noſtra ſunt, bona appellantur. *Dominium* (denique) *eſt ius, ſeu poteſtas de re aliqua liberè, & pleniſſimè, diſponendi*. Bart. in leg. ſi quis vi, 17. de acquir. poſſeſſ. num. 4. Bald. in l. fœminæ §. illud C. de ſecund. nup. Vbeſembech. in paratitl. tit. de acquir. rerum domi. num. 3. hæc eſt ſufficiens, & eſſentialis diffinitio, quia illud verbum, ius, nihil contra ius, ſiuè naturam, & leges permittit: vnde apolactizo, tanquam ſuperflua cætera verba, quæ a gloſſographis adduntur in l. 1. & rub. de acq. rerum dom. & rectè prædicatur de dominio, quod iure naturæ ineſt homini ſuper terram, & vniuerſa ligna, & animantia, de

qui-

Universidad Carlos III de Madrid. Biblioteca

quibus liberè disponere ei fuit ab Authore naturæ concessum, & in forma, & in materia, & derivatiuè, & possessiuè. Idem est igitur, quod hodie habemus de iure gentium, & de iure positiuo, *quod in totum à naturali non recedit; licèt per omnia ei non seruiat*, lege sexta ff. de iustitia, & iure.

Reiecta enim sententia, imò opinione Alberti Gentilis, lib. 3. lect. cap. 1. gentilis quidem in ea, quia dominij negat originem à iure naturæ, sed à ratione practica naturali per discursum delibatum: cui improbe subscribit Rainer. Corsetus, 1. indag. 14. fixo pede fateri opportet dominium ab ipso Deo naturę humanæ condonatum, rationi debitum, at non ratiocinatum, vt patet ex testimonijs sacris, Genes. 1. & 2. Eccles. cap. 17. & rationibus, & authoritatibus supra adductis, & vere adstipulatur Vaconius 1. declar. 11. & cũ Donello Osualdus, asserẽtes 1. com. c. 7. ex iure ingenito, vulgo primeuo, siuè naturæ, dominia indistincta prodidisse: profitetur Imperator Iustinianus in §. singulorum, instit. de rerum diuis. licèt in caligine verborum. 3 4

Iure naturali, quod sicut diximus appellatur ius gentium, quibus illicò contraria videtur inferere, *commodius est itaque à vetustiore iure incipere palam est autem vetustius esse ius naturale, quod cum ipso genere humano rerum natura prodidit*, è iureconsulti verbis libauit, l. 1. ff. de acquir. rerum domin. *quod antiquitus cum ipso genere humano proditum est.* vtrumque comprehendens, aut ius, prout rationalis naturæ specificum, quod ideò appellatur ius gentium, siuè naturæ, sed simpliciter, & sine suppositione indigentiæ, & necessitatum profluxum à natura; aut ius etiam rationalis naturæ, sed secundum quid, ideſt, vsu exigente, & humanis necessitatibus ratiocinatum, quod ex inde quoque ius gentium dicitur, quia suppositis naturæ corruptæ humanis necessitatibus, gentes humanæ iura quædam sibi constituerunt: l. ex hoc iure 5. de iust. Vtrumque vetustius

est

Universidad Carlos III de Madrid. Biblioteca

eſt iure ciuili,& vtrumque â natura prodidit; Sed primum â natura pura,& incorrupta:Secundum â natura corupta, atque indigena per iniquitatem, vti ait D. Clemens, in cap. 2. 12. quæſt. 1. hoc eſt propter neceſsitates á penali illa lege iniquitatis abortus. Huiuſmodi enim neceſsitates § á natura euenire nequeunt, quia natura nil fecit mendigum,nec indigenum, ſed a corruptione naturæ humanæ per iniquitatem. §. ius autem gentium,quibus naturalis ratio ſubuenit raciocinando remedia, §. quod verò naturalis ratio,de iure natur. quam veritatem conatus fuit Apoſtolus docere Romanos iureconſultos, qui & ſi cognouerant non intelligebant dicens, ad Rom. cap.3. num.12.& cap.5. num.12.& cap. 6. num. 23. *Omnes declinauerunt, ſimul, inutiles facti ſunt,non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum*,& rurſus,*propterea ſicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit,& per peecatum mors,& ita in omnes homines mors pertranſijt, in quo omnes peccauerunt*, iuncto ibi: *Sſtipendia enim peccati mors*. Cuius præcipua ſimiliter,Geneſ. cap. 3. num. 17. & 18. *maledicta terra in opere tuo,in laboribus comedes ex ea, cunctis diebus vitæ tuæ, ſpinas,& tribulos germinabit tibi,& comedes herbas terræ,in ſudore vultus tui veſceris pane tuo, donec reuertaris in terrã*. Hinc ab effectibus dixit licèt cauſam non intellexit Poeta.

Optima quæque dies miſeris mortalibus æui
Prima fugit,ſubeunt morbi,tritiſque ſenectus,
Et labor,& duræ rapit inclementia mortis.

Optima quoque dies prima fugit,quia deſeruit, propetè terras iuſtiſsima virgo,& ante ſolis occaſum ſuprema tempeſtas fuit:non enim maior pars primæ diei optima;ſed minima fuit. Hinc ſcatent neceſsitates humanæ,quæ à ratione expoſtulant ſubſidium, quoniam in natura pura, & in corrupta omnia ſponte obedirent homini, tanquam naturaliter dominio eius ſubiecta, quia cum in dominio detur relatio dominandi,& ſubijciendi,(vnde conſultus, l. vnic.

in

in princip. & in §. 1. si quis ius dic. non obtemp. dixit, *Non obtemperasse videtur, qui quod extremum est, in iurisdictione non fecit.* vbi glossographi, Cuj. Vdalr. Zas. Ant. Fab. ibi, non littus; sed potius naufragos lambunt scopos, meo enim videri, extremum est obedire, initium dominari, & imperare, vt dixi. hæc duo essentiam dominij constituunt, & imperij, hinc etiam dicitur, quod dominium est ius rei, quod plenissimè rem ipsam afficit, quod singulariter notãt, in l. fin. §. fin autem, vers. postquã, DD. & Baldus, & Ioãn. Ign. & in l. 1. ff. ad Syllanianũ, & C. de iur. dom. impetr. & erudite Donellus redendo singula singulis, docet dominiũ dici à persona domini: & proprietatem â re affecta subiectioni dominij. Necessariò dominium actiuum, & passiuum est: actio enim propia, & naturalis hominis dominari est, & passio propia, & naturalis vniuersæ creaturæ inferioris subijci homini est, vti in creatione rerum fuit diffinitũ, Genes. cap. 1. ibi: *Subijcite eam, & dominamini*, & ibi: *Vniuersæque creaturæ*. Hinc ratio, quare dominium insit infanti, furioso, & ebrio, absenti, dormienti, atque inuito, & eis adquiratur: quia propia passio rerum est subijci naturæ humanæ, licèt homo infirmitate, aut corporis, aut mentis præpeditus, sicuti nec ratione, dominio non vtatur, insinuat Osualdus Hiligerus, lib. 5. com. Don. cap. 16. litt. D. 7

Fallit autem Antonius Gomez, in l. 45. tauri, num. 5. & Bart. in l. 1. ff. de iurisd. om. iud. col. fin. asserens dominium non esse qualitatem rei inhærẽtem, quæ doctrina est contra prædicta sacræ paginæ testimonia, & tollit relationem passiuam dominij, & ordinem naturæ, & rei vindicationem, & plures iuris naturalis, & ciuilis effectus, & ita abea cauendum: omnia denique, quæ sub cœlo sunt motu proprio naturali obendientiali obedirent voluntati rationali hominis domini sui, vt de aureo Saturni seculo exemplari naturæ incorruptæ sensit Poeta, 1. Metham. 8

Flumina iam lactis, iam flumina nectaris ibant

Ne-

Ne signare quidem, aut partiri limite campum
Fas erat: in medium quærebant.

Et Virgilius.

..... *Ipsaque tellus*
Omnia liberius nullo poscente ferebat.

At verò licèt non natura, & essentia, modus tamen dominandi supplantatus est per peccatum: quoniam cùm ipsa natura, siuè Deus, moueat animalia, & res ad suas proprias operationes, & motus: sublata gratia, & amicitia inter Deum, & hominem, ac homine odibili facto per peccatum, remouit motionem obedientiæ, & amissus est ordo subiectionis, & dominationis inter homines, & animalia, ac cætera quæ sunt super terram, quia (Bañes ad 1. p. Diu. Thom. quæst. 96. art. 1. in com. docet) non erat necessarius ad conseruationem naturæ, sed excellentia erat gratiæ, & amicitiæ Dei, quæ reuiuisci videtur aliquandò amicis eius, vt dictum est: *Super Aspidem, & Basiliscum ambulabis, & conculcabis pede Draconem, & Leonem*: & de Daniele misso in lacum Leonum, Dan. cap. 6. nu. 22. *Non nocuerunt* (inquit) *mihi quia coram eo iustitia inuenta est in me*, & Eliseo vrsi paruere 4. Regum 2. & de Leone subiecto D. Hieronymo: & passim exempla de sanctis veteris, & noui testamenti refert Bened. Pererius, lib. 4. super Genes. cap. 1. *Animalia igitur* (ait Gracianus ex Diuo Augustino cap. 3. 15. quæst. 1.) *præsentis seculi cursum, atque ornatum, secundùm creatoris incomprehensibilem peragunt voluntatem, quæ de suis factis nullam rationem reditura sunt, quia rationalia non sunt.* Sat enim fuit naturæ, vt post peccatum, remaneret quoad essentiam, dominium illud, ad hoc vt cũ tremore, & terrore, labore, & sudore, vindicemus quæ nostra sũt, vti decisũ extat, Gen. c. 9. *& terror vester, at tremor sit super cuncta animalia terræ, & super omnes volucres cœli, cũ vniuersis quæ mouẽtur super terrã, omnes pisces maris manui vestræ traditi sũt, & omne quod mouetur, & viuit, erit vobis in cibũ,*

quasi

quasi olera virētia tradidi vobis omnia, quia lex illa pœnalis: *In laboribus comedes ex ea, & in sudore vultus tui*, nō derogauit dominio; nec vindicationi eius, sed decreuit, quod laboribus dominetur, & sudore vindicet, etiam quod est suum: vnde venatio quoad vindicationem, & ius capiendi, est de iure naturæ incorruptæ: sed quoad modum violentum, est de iure, & necessitate naturæ corruptæ: neque obstant verba Ecclesiastici cap. 39. *Ignis grando fames, & mors, omnia hæc ad vindictam creata sunt, bestiarum dentes, & scorpij, & serpentes, & Romphea, vindicans in exterminium impios*, quia satisfacit ipse, ibi: *Quomodo conuertit aquas in siccitatem, & siccata est terra, & viæ illius vijs illorum directæ, sic peccatoribus offensiones in ira eius; bona bonis creata sunt ab initio, sic nequissimis bona, & mala, initium necessariæ rei vitæ hominum aqua, ignis, & ferrum, sal, lac, & panis similagineus, & mel, & votrus vba, & oleum, & vestimentum, hæc omnia sanctis in bona; sic & impijs, & peccatoribus in mala conuertentur*: & ibi: *Omnia opera Domini bona, & omne opus hora sua subministrauit, non est dicere, hoc illo nequius est: omnia enim in tempore suo comprobabuntur*: & ibi: *Nō est dicere quid est hoc, aut quid est istud? omnia enim in tempore suo quærentur*: quia (vt inquit Seneca de brevitate vitæ in principio) *non accepimus brevem vitam, sed fecimus, nec inopes eius, sed prodigi sumus, sicut amplæ, & regiæ opes, vbi ad malum dominum peruenerunt, momento dissipantur, at quamuis modicæ si bono custodi traditæ sunt, vsu crescunt, ita ætas nostra benè disponenti multum patet: quid de rerum natura quærimur?* Vindicata enim labore post peccatum, quæ antea sine sudore vindicaremus, subijciuntur nobis, quasi primò quòd mansueta fiant animalia, ipsa vindicent pœnam peccati, velut exactores laboris, & sudoris. *Vindicans in exterminium impios*. Vnde elephans, leo, & canis, ac cætera ferè animantia ei solum, qui labore, & sudore subiecit, subijci videntur, irruentia

Universidad Carlos III de Madrid. Biblioteca

in ignotos ad vindictam creata, vsque dum pœna legis soluta sudoris, & laboris, obediẽtiam, & subiectionem reddant domino suo: *Quia omne opus hora sua subministrauit, & omnia in tempore suo quærentur.* Nec contradicit Iureconsultus Gaius in l.3.in fine, & l.5.in princip.ff.de acquir. rerum domin. docens feras naturalem libertatem habere, & idem subscribens Iustinianus in §.feræ.12.de rer.diuisio. quia ex eo, quod laxatæ fuerant à motu obedientiali propter inobedientiam hominis, dicuntur esse, vel redire in libertatem, idest in laxitatem, vt singulariter dixit Vlpian.in l.44.ff. eod.de acquir.rer.domin. *Cùm in suam naturalem laxitatem peruenerant.* Et laxitas presuponit alligationem; sed quia laxatæ fuerant, propter peccatum hominis, non ab alio, quàm ab ipso Creatore naturale laxamentum est, etiam si naturalis passio seruiendi hominibus sit illis insita, aliter autem intelligere nefas est: quia scimus dominatum fuisse homini condonatum super omnia, quæ super terram sunt, spirant, atque serpunt.

CAPVT III.

Ratio iuris naturæ in communione, & societate dominij rerum.

SVMMARIVM.

1. *Dominium non partiliter humanæ naturæ datum est.*
2. *Modus diuisionis rerum ratiocinatione conquisitus est.*
3. *Quid sit dominium inquiritur.*
4. *Verba text.in l.1. in principio, ff.de acquir. possess. explicantur.*
5. *Origo, quare non sit idem dominium & possessio.*
6. *Ratio genuina vsucapionis demonstratur.*

Quo

7. *Quo iure, quæ nullius sunt primo occupanti concedun-*
tur expenditur, & varia iura.
8. *Dominium naturæ condonatum, non fuit peccato ori-*
ginali publicatum, sed fructus rerum spontanei.
9. *Apud omnes gentes præcipitur ratiocinatione, quod*
Apostolus, qui noluerit operari, non manducet.

RAdix ergo dominij pululat in natura humana ab ipso Deo O. ac M. Creatore, non partiliter condonata: quia natura perfecta, non indigeret diuisione, *homini* (enim) *plantauerat Dominus paradisum voluptatis locus erat* (inquit D. Basilius orat. de paradiso) *delicijs omni fariam affluens, omne creaturæ sensibilis exuperans pulchretudine*, disserit latè Benedictus Pererius super Genes. cap. 2. lib. 3. quæst. 2. Essentque omnes, vt agnouit Ouidius 1. Metham.

Contentique cibis nullo cogente creatis.

Nemo quidquam concupisceret, sed tam liberalis existeret, vt natas sibi fruges non includeret, nec solis absconditis incumbaret, D. August. lib. 7. de ciuit. cap. 19. At vero omnes ad communionem admitteret: quia vt Cæsar in Aratæo ait,

Nondum vesanos rabies nudauerat enses,
Nec consanguineis fuerat discordia nata.

Et Virgilius.

..... *Ipsaque tellus*
Omnia liberius nullo poscente ferebat.

Et iterum Ouidius.

..... *Natos sine semine flores,*
Mox etiam fruges tellus inarata ferebat.

Ex alienis hortulis, scilicet Epicuri, sumpsit Seneca epist. 4. in fine, *Magnæ diuitiæ sunt lege naturæ composita pauper-*
tas, lex autem (inquit) *illa naturæ scis quos nobis terminos*
statuit? non esurire, non sitire, non algere, vt famem, sitim-
que depellas: non est necesse superbis assidere liminibus, nec

Universidad Carlos III de Madrid. Biblioteca

supercilium graue, & contumelioſam humanitatem pati, non eſt neceſsè maria tentare, nec ſequi caſtra: parabile eſt, quod natura deſiderat, & expoſitum: ad ſuperuacua ſudatur, illa ſunt quæ togã conterũt, quæ nos ſeneſcere ſub tentorio cogũt, quæ in aliena littora inpingunt: ad manum eſt, quod ſatis eſt. Vnde rectè dicitur à Gratiano ex D. Iſidor. text. in cap. 1. diſt. 1. *Fas lex diuina eſt, ius lex humana: tranſire per agrum alienum fas eſt: ius non eſt*: quia in natura incorrupta ager alienus nullus erat, quoniam omnis communis: & quod commune erat, alienum dici nequibat: ideò per illum tranſire fas erat, ſicut hodie eſt ius, per ſuum tranſire.

Ne ſignare quidem, aut partiri limite campum.
Fas erat, in medium quærebant.

Omnia enim communia cõmuni iure naturæ ſub manu, mãcipioque hominis eſſent, vti ex Marciano, & Florẽtino deducitur, l. 2. & 3. ff. de rer. diuiſ. l. 4. ff. eod. §. 1. inſt. eo. quare nemo ad littus maris accedere prohibetur: quia littus maris cõmune eſt omnibus, & apparet ſemita illius cõmunis radicis in his rebus, quæ priuatim capi non poſſunt, vt luti in aẽre, aqua profluẽte, & mare, & per hoc littoribus eius, & ſimilibus, l. 1. 2. & 3. cum ſequent. de rer. diuiſ. & in princip. cum. §§. ſeq. inſt. eod. Luc. lib. 4.

Satis eſt populis fluuiuſque Cereſque.

Quæ adhuc remanent communia, & in his quæ etiam adhuc à nemine capta ſunt, vt lapillis, & gemmis, & feris quæ aut non amiſerunt laxitatem naturalem, aut recuperarunt, tanquam communia omnibus iure naturæ incorruptæ conceduntur ſingulis occupãtibus, iure naturæ corruptæ: ſiue gentiũ, quia cùm Aſtræa illa, ſiue iuſtitia originalis, quæ ius, & ordinẽ naturæ ſeruabat, ab iniquitate fugeret primi parẽtis (dixit etiam, Ouid. 1. Metamorph.

Deſeruit properè terras iuſtiſsima virgo,

Et Porcius.

Vltima cœleſtum terras Aſtræa reliquit.)

Et

Universidad Carlos III de Madrid. Biblioteca

Et dirutum esset fœdus societatis humanæ, & licèt hominem homini insidiari nefas à natura sit.

Tum belli rabies, & amor successit habendi,
Prædarique lapos iussit.

Hinc instante necessitate corruptionis naturæ, & indigẽ 2
tiæ humanæ, modus singulariter, ac priuatè dominij acquirendi ratiocinatione conquisitus est. Primus titulus, & radicalis acquisitionis dominij, natura ipsa rationalis est. Cæterì autẽ tituli, veluti lex, contractus, venatio, captiuitas, bellum, electio, vsucapio, testamẽtum, hæreditas, omnes denique à iure gẽtium, & ciuili ratiocinati, ab indigentia naturæ corruptæ proueniunt, vt inquit Iureconsultus, l. 2. ff. de rer. diuis. & in princip. inst. eod. *Ex varijs causis cuique adquiruntur.* Item Gaius in l. 1. de adquir. rer. dom. sic interpretandus, *Quarundam rerum dominium nanciscimur iure gentium*, ideſt, dominiũ priuatũ, quod captione, & varijs causis desinit esse cõmune propter necessitates humanas. Absit, quòd titulus sit dominiũ, vt rectè notat Sot. cõtra Parisiẽs. lib. 4. de iust. q. 1. art. 1. vers. Ad hæc, 3
sicut esset fatuũ dicere, artificẽ esse domũ: quia titulus est ratio, & causa efficiens dominij: absit etiam, quòd res, vel dominus sit dominiũ, vt aliqui somniant: quis enim ferat dominium equi esse equũ, vel equitẽ, vt scitè apolactizat Soto supra: absit iterum, quòd dominium sit vsus, vel vsusfructus: nã si consideretur causalis in re propria, vsus, vel vsusfructus est effectus dominij, dominium autẽ titulus, & causa vtendi, & fruendi, non igitur idem sunt causa, & effectus. Si verò formalis in re aliena, non est ius vtendi re, & substantia eius, sed qualitatibus, & accidentijs, ac fructibus, salua rerum substantia: ita vt denegatur libera facultas disponendi de re, & per consequens dominium. Deinde, quia homo habuit dominium omnium rerum, antequam eis vteretur, modò cum factus est ad imaginem, & similitudinem Dei, & dictum ei:

Sub-

Subijcite eam, & dominamini Geneſ. 1. 2. & 3. Igitur dominium non eſt vſus, neque vſusfructus, ſed facultas inhærens naturæ humanæ de re liberè diſponendi, eadem ratione dominium, neque eſt poſſeſsio: quia etſi aſſerat Iu-
4 reconſultus, l. 1. de acquirend. poſſeſ. in principio, *Dominium à naturali poſſeſsione cœpiſſe.* Intelligitur non tanquã ab origine, & radice: quia hæc tantum fuit rationalis natura; ſed tanquam à modo inſtante neceſsitate ratiocinato, magis diuiſioni rerum adæquato; ſic à naturali ideſt à corporali poſſeſsione cœpiſſe diſtinctionẽ, & diuiſionem
5 dominij ſubſcribo. Ex quo patet, non eſſe idem dominiũ, & poſſeſsionem, quia modus, quo adquiritur nõ eſt idem, quod adquiritur, ſed inſtrumentum: & quia poſſeſsio magis pendet ex facto poſsidentis; inde interdicta dãtur pro poſſeſsione, quæ ſunt actiones perſonales, vt firmat Gifanius in l. 3. §. 4. de acquirend. poſſeſ. num. 46. & poſſeſsio poteſt eſſe, & abeſſe. At verò in rem actio eſt ei, qui iure gentium, vel iure ciuili dominium adquiſiuit, l. in rem actio. de rei vindicat. quia dominium eſt propria, & inſeparabilis paſsio rei, quæ debet ſubijci homini iure naturæ, d. cap. 1. & 2. Geneſ. ita vt non poſsit de iure naturali, non eſſe omnibus ſubiecta: vel de iure gentium illi, qui eam cœpit, hæc eſt genuina, & ab origine prælibata vſu-
6 capionis ratio, & inde qui vti deſinit dominio alterum eodem iure, vti prohibere non poteſt, l. ſi quiſquam. 7. ff. de diuer. & temp. præſcript. cũ text. ita interpretando in l. præſcriptio. 45. ff. de vſurpat. radix enim dominij eſt ius humanæ naturæ condonatum, & paſsio cæteris vniuerſis creaturis inſita, radix illa ſemper eſt communis, quæ eſt origo transferendi dominium de vno in alterum: quia diſtinctio, ac diuiſio à iure gentium ratiocinata non tollit radicem eſſe communem, imò potius, ea ſuppoſita, & ex ea infertur, rem eſſe poſſe Petri, vel Ioannis, & nihil tam naturale eſſe, quàm voluntatem domini volentis, rem

ſuam

Universidad Carlos III de Madrid. Biblioteca

ſuam in alium transferre ratam haberi, §. per traditionē 3
inſtit. de rerum diuiſ. qua enim ratione, iure naturæ capientium fiunt lapilli, gemmæ, cæteraque, quæ in littore inueniuntur? reſpondent Marcianus, & Florentinus, l. 2. & 3. ff. de rerum diuiſ. quia iure naturali communia ſunt omnibus. Quod nullius dicitur eſſe, quo iure primo occupāti conceditur? naturæ, qua homo dominus eſt, ſed quo pacto ſi nullius antea fuerat? quia nullius dicitur eſſe, quod omnibus eſt: ita ſenſit, & decreuit Iuſtinianus, §. 2. inſt. de rerum diuiſ. quia cum dixiſſet. *Et quidem naturali iure cōmunia ſunt omnium hæc, aer, aqua profluens, & mare, & per hoc littora maris: nemo igitur ad littus maris accedere prohibetur*: iterum *dixit proprietas autem illorum poteſt intelligi nullius eſſe; ſed eiuſdem iuris eſſe, cuius & mare, & cui ſubiacet mari, terra, vel arena*. §. flumina in fin. eod. de rerum diuiſ. proprietas enim, ideſt dominium proprium ſingulorum diſtinctum, & ſepatatum à communione natiua propter neceſsitates iniquitatis, quibus ratione, ſeu iure gentium ſuccurſum eſt, poteſt intelligi nullius eſſe: quia illa huiuſmodi diuiſionem dominij priuati, ac proprij non capiunt, ſed remanent eiuſdem iuris, cuius & mare, & quæ ſubiacet mari, terra, vel arena, ideſt iuris naturę, quo communia ſunt omnium decreto ab ipſo naturæ authore, Geneſ. d. cap. 1. & 2. *Subijcite eam, & dominamini, & vniuerſæ creaturæ*, ita ſimiliter intelligitur verè Pomponius in l. 20. §. tribus de acquir. rerum domin. & idem Iuſtinianus in §. inſula de rerum diuiſ. Plin. lib. 1. cap. 86. hæc proferētes verba, *Inſula quæ in mari nata eſt* (quod rarò accidit) *occupantis fit, nullius enim creditur*. Cauendumque eſt à vulgari interpretum diſtinctione, nempe quoad dominium nullius eſſe, ſed quoad vſum communia: radix enim & cauſa vſus commune dominium eſt: & illorum diſtinctio prædictis Sacræ paginæ teſtimonijs non congruit, & rationib? ſupra adductis repugnat: quia natura immutata 7

non

Universidad Carlos III de Madrid. Biblioteca

8 non fuit,ſed deterior humana cõditio facta propter pec-
catum,non publicatione dominij,arg.l. verum. 63. §.vlt.
& in l.actione.65.§.publicatione,ff.pro ſocio.ſed fructus
ſpontanei rerum,vt terra non germinet;niſi ſpinas,& tri-
bulos abſque ſudore, & labore vultus ſerui pœnæ: quaſi
quod opus ſit,quòd efflagitet genu flexus, & humi proie-
ctus,vt ſeruus,quod dominus vindicare,& ſine labore vti
potniſſet,*Venatio ſilueſtrium animalium* (inquit Ariſtote-
les lib.1.Pol.cap.5. *iuſta eſt & naturalis, quia per eam ho-
mo vindicat,quod eſt naturaliter ſuum.*Sed ſudore,& labo-
re vindicat,quod ſuum eſt,vt non poſsit non adimpleri
lex illa pœnalis,Geneſ.cap.3. *In laboribus comedes ex ea,
cunctis diebus vitæ,in ſudore vultus tui veſceris pane tuo:
tuo*,dixit author naturæ,iudicans, quod dedit creans,vt
intelligamus dominio, lege pœnali, non derogaſſe,ſed
pœnam impoſuiſſe laboris,& ſudoris in vſu,& fructu om-
nium,quæ ſub pedibus eius ſubiecerat creatione.Inde di-
citur Iob.capit.5. *Homo natus ad laborem*, & ab Eccle-
ſiaſt.cap.7.*Non oderis laborioſa opera*:& iterum:*Comedat
quiſque,& bibat ex labore ſuo*,cap.5.& Pſalm.128.*Laborem
manuum tuarum manducabis*, & imperiosè ab Apoſtol.2.
ad Timoth.cap.3. *Qui noluerit operari, non manducet*, &
ratiocinatione ipſa apud Ægiptios, & apud Sardoas,te-
ſte Ælian. 4. 1.& Herodot.2. qui non rationem ſui la-
boris ederent coram Præſidibus , capite plectebantur.
Idem Draconem edixiſſe refert Plutarchus, & Solonem
infamiæ notam ſubrogaſſe, qua frons ignauorum inure-
batur, nullum enim præſiùs ſtemma peccati, & abomi-
nationis, quàm vagus, & profugus eſſe in terra, & quaſi
mortis reus ſe iſte profitetur, veluti Cain,Geneſ. capit,
4.ibi *Poſuitque dominus in Cain ſignum.* Athenienſes au-
tem cœno,& pallude otioſos ſubmergebant: at verò in-
ualidos corpore non vagari, ſed ex publico ærario ali fi-
xo decreuerant calamo, Valer.Maxim. lib.2.capit.1. de
Areo-

Universidad Carlos III de Madrid. Biblioteca

Areopagit. Atheneus lib. 4. cap. 2. & 5. cap. 2. apud Chinenſes, nemo abſque labore manuum ſuarum remittitur inualidus, etiam, & mutilatus adſcribitur arti, & operibus, quas, & ſi maximo, poſsit exercere labore: ſi nullo autem: Xenodochijs, & Noſocomijs alendus traditur: artifex verò nullus abſque publico iudicio, & tunc admittitur, ſi profeſsionem prius emiſſerit alendi inualidos, quos illius artis labori iudex adſcripſerit: quo pacto charitas exerceatur, & nullum relinquitur vagandi iter. P. Gregor. lib. 13. ſyntag. cap. 28. & Ferdinand. Mendez Pintus, peregrin. cap. 112. Apud Germanos, & Gallos idem ferè obſeruari ſcribit Rhenatus. 2. rerum German. & cap. 118. legum francicarum, & ex Tacit. de moribus German. Iuſtus Lipſius ibi numer. 30. *Ignauos, & imbelles corpore infames*, & ex his, & Platone lib. 12. de legib. eruditè exornat Gotifred. in nouella. 80. Iuſtinian. cap. 5. quì eadem edixit: mendicando enim homines ad delicta proniores fiunt, aut ſaltem otioſus fruſtra eſt terræ onus, pondus quidem eſt inutile, & fraudem committit in legem illam pœnalem naturæ corruptæ, Geneſ. cap. 3. *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo*; & Pſalm. 128. *Labores manuum tuarum manducabis, & benè tibi erit*, alioqui nihil aliud, niſi ſpinas, & tribulos terra germinabit: alioquì malè tibi erit, ciuibus, & ciuitati, & regno, vt nouiſsimo adhuc ferè non emiſſo omnis eruditionis plumarum amicto, & loricato calamo docet Ioan. Adamus de la Parra economica, & regia periphraſi text. in l. vnic. C. de mendicant. valid. lib. 11.

(.?.)

CAPVT IIII.

Ratio iuris gentium in rerum dominij distributione, ac diuisione.

SVMMARIVM.

1. *Dominium rerum, primùm distinctum fuit renuntiatione gentium.*
2. *Diuisio dominij, non dominium à naturali possessione cœpit.*
3. *Ratio, quare hæreditati furtum non fit, noua traditur, & explicatur etiam D. Isidorus apud Gratianum.*
4. *Dominium distinctum, ac diuisum morte peccati.*
5. *Ex duplici iure nobis competit dominium rerum.*
6. *Ratio inhibitionis furti, & origo eius.*
7. *Præcepta negatiua iuris naturæ, non sunt primitiuè ab ipsa, sed deriuatiuè, affirmatiua autem sunt primitiua.*
8. *In natura perfecta nullatenus esset dominium diuisum.*
9. *D. Thomæ dictorium explicatur, & Gratiani.*
10. *Post peccatum inducta fuit diuisio rerum, à ratione naturali.*

DIssociamur (inquit Modestinus lib. 3. reg. l. societatem 4. ff. pro socio) *renuntiatione, morte, minutione capitis, & egestate,* quibus causis ratione sylogizante iure gentium in lato introducta sunt bella, regna condita, dominia distincta agris termini positi, l. ex
11 hoc iure. 5. ff. de iustit. Primùm ergo dissociamur renuntiatione, siue consensu omnium gentium, quæ humana instante necessitate, ius dissociandi dominium constituerunt, & licèt derogare minimè iuri potuissent naturæ,

quod

quod semper firmum, & immutabile est, §. sed naturalia de iure natur. licuit tamen eis veluti dominis, vt quod vnusquisque posideret, id proprium speciali possessione, ac distinctum (etsi non speciali dominio) esset. Vnde rectè dicitur *à Verba filio, dominium rerum ex naturali possessione cœpisse*, l. 1. §. 1. de acquir. possess. nõ quod cœpisset dominium ex naturali possessione, sed distinctio, seu diuisio dominandi, vt dixi supra, & Ouidius lib. 1. Metamor. 2

Tum primum subiere domos,
Domus antra fuerunt.

Hinc rationis sacramento apud Consultos dicitur hæreditati furtum non fieri, l. 1. & vlt. de crim. exp. hær. l. 68. de furtis, Gotifred. ibi, & Doctores in rub. de acquir. hæred. Amaya lib. 2. obs. capit. 7. l. cùm hæredes. 23. in principio cum sim. de acquir. possess. Quia hæreditas possessionem non habet, & nisi possessioni furtum non fit: quoniam licèt dominium communiter, & pro indiuiso naturæ humanæ fuerit concessum, possessio tamen nisi naturaliter apprehendatur, nempè facto, & corpore ad nos non pertinet. Inde possessio non est communis, licèt ius, & potestas posidendi communis sit: qua distinctione intelligendus est D. Isidorus, apud Gratianum, cap. ius naturale dist. 1. ibi: *Communis omnium possessio*, effectum mutuauit pro causa: quia non omnes eandem rem posiderent, etiam de iure naturæ, licèt omnes idem ius posidendi haberẽt. 3

Deinde dissociamur morte, quia mors stipendia peccati; ex quo omnes humani generis erumnæ, ac necessitates, bella captiuitates, & seruitutes, capitis minutio, & egestas, hæc enim omnia stipendia sunt peccati: quoniam. 4

Artificis periit cum caput arte sua.

Perijt denique caput hominis cum arte sua dominandi ab libitũ, sine labore, & sudore: magna ars! naturæ quipè & gratiæ, sed peccauit in ea artifex, & inde dictum est ei:

Vae sed inultus, qualem decet exulis esse.

Universidad Carlos III de Madrid. Biblioteca

Infelix habitum temporis huius habe.
Tempore enim peccati terra non dedit fructum suum, sed spinas, & tribulos germinauit, & germinat, & animalia denegant obsequium, vt in laboribus, & sudore, quod sumerat homo vindicet, & capiat, *Accipio conditionem, non reformido iudicium*, ait Seneca epist. 26. ne igitur terra inculta maneret, vel aliorum industria, & labore partos fructus alij desides consumerẽt pigritia, & vecordia fruẽtes sudore alterius, transgredientes legem illam irrefragabilem pœna peccati, *In laboribus comedes ex ea, & in sudore vultus tui*, Genes. 3. per quam legẽ cognitio peccati, ad Rom. c. 3. & ita non potest non adimpleri, vt nemo excusationem habeat. Nulla inde possidemus, quæ non fuerint parta labore, & sudore, itaque ratio apud omnes gentes legitimè ratiocinata, & sic custodita regna condidit,
5 dominia distinguit, & agris terminos posuit: quia ex duplici iure nobis competunt dominia rerum: ex insito naturæ, & ex acquisito labore, & sudore vniuscuiusque, & licèt primo communia sint, secũdo tamen rectè priuata, &
6. singulorũ fuerunt constituta. Vnde scitè infertur ratio furti, quia cùm lege illa pœnali, nõ nisi labore, & sudore vultus sui, rebus quis vti possit, trãsgressor est illius legis fur, qui pigritia, ignauia, & fraude lucri faciendi gratia, l. 1. in fin. ff. de furtis (id est sine labore, & sudore) vel ipsius rei, vel etiam vsus eius, possessionisvè, quod lege naturali prohibitum est admittere, contrectatione abutitur lege naturali, id est conclusione rationis: rationis enim conclusio, & decretum lex naturalis est, & hæc legitimè, & naturaliter, & sic iustissimè illata, ne quisquam in sudore alterius vesceretur etiam pane suo, & transiret decretum illud: quæ naturæ peccatricis lex est imposita quoquè ab ipso Creatore: qua instante edocta fuit natura corrupta, ex collatis principijs syllogizans ratione, & consensu apud ompes gẽtes distributionem decernere dominij: aliter enim

ini-

Universidad Carlos III de Madrid. Biblioteca

iniquissimum genus societatis esset, ex qua quis damnũ, non etiam lucrum spectaret, vt ex Aristone, & Cassio subscribit Vlpianus, l. 29. in fin. ff. pro socio: damnum autem nullum reperiri potest in natura incorrupta, sed in natura corrupta. Vnde omnia præcepta negatiua, veluti non fur- 7
tum facies, non occides, non mechaberis, nõ falsum testimonium dices, nõ sunt primitiuè à natura, sed deriuatiuè: quia supponunt corruptionem naturæ: affirmatiua verò veluti erga Deum religio diliges Dominũ Deum tuũ ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & diliges proximũ tuũ, sicut te ipsum, in quo vniuersa lex pendet, & Prophetæ, & natura ipsa, sunt primitiua: quia supponũt perfectionem, & iustitiam, ac obedientiam humanæ insitã naturę. Prædictæ rationes distinguendi, ac distribuendi dominij à iure gentium, sunt à priori: aliæ tres quas inducit Soto lib. 4. de iustit. q. 3. art. 1. §. hæc ergo, à posteriori inferũtur. In natura perfecta nullatenus fuit dominiũ diuisum: quia ꝙ Deus potẽtia ab æterno, & actu ex opificio rerũ dominiũ 8
habeat iure creationis, & Angeli, & homines suapte natura, & iure suarũ actionũ domini esse cœpissent, magis est 9
Hierarchia dominiorũ de gradu in gradũ, de natura in naturã superiorem, & excellentiorem, quã diuisio dominij: quia non diuiditur, quod cõmune, & vniforme non est, vt explorati est apud peritos iuris, ex toto tit. cõmuni diuid. fin. reg. familiercis. Soto lib. 4. de iust. q. 3. art. 1. §. 3. concl. ita illa Hierarchia nõ est diuisio dominij cõmunis: fallitque in hoc Soto alias doctissimus. Sed vsu exigente, & humanis necessitatibus diuisio dominij cœpit, & inde ex iure gentium ratione genito, non naturæ ingenito, vt ipse Soto rectè fatetur ibidem, vbi scitè intelligit D. Thom. contra Caietan. 2. 2. q. 66. art. 2. in resp. ad. 1. & in q. 57. dixerat enim Angelicus Doctor in q. 66. diuisionem rerum pertinere ad ius positiuum, & in q. 57. firmat esse de iure gentiũ; nec sibi repugnat, quia ius gentiũ, prout ratiocina-

tione

tione introductum verè est posſitiuum omnium gentium ratione, & consensu, siue constitutione rogatum, & ita rectè intelligitur Gratianus in sum. 8. dist. & in cap. 5. cap. 9. dist. 1. vbi, hoc nomen meum, & tuum, ideſt diuisionem rerum ex consuetudine, siue constitutione originem sum pſisſe, docet: hoc est ex constitutione gentium omnium,
10 siue iure. Illico post peccatum, non antea enata fuit ratio diuisionis, vt patet ex illo, Genes. cap. 4. quod obtulerunt fratres Cain de fructibus terræ munera Deo, Abel autem de apibus, & primogenitis gregis sui, & Cain etiam ædificauit ciuitatem vsu exigente, & humanis necessitatibus, quæ fuerunt causa impulsiua: & ratio humana fuit causa efficiens diuisionis: vnde opus minimè fuit, quod Adam, vel alius fuisset diuisor vniuersalis, tanquam Princeps, aut Rex, sed fortè primus, qui ratione motus, & necessitate instructus sibi aliquid peculiare vindicaret, vt Cain ad ædificandam ciuitatem: à Cain, & Abel, *meum, & tuum*, legimus, ac postea, Genes cap. 10. *ab his* (ideſt à filijs Noe refert Sacra pagina) *sunt diuisæ insulæ gentium in regionibus suis, vir vnusquisque secundum linguam suam, & familias suas in nationibus suis.* Et quamuis Poeta dicat:

Si duo de nostris tollas pronomina rebus
Prælia cessarent, pax sine lite foret.

Ideſt meum, & tuum: diuisio non est causa prælij, ac belli, sed peccatum, propter quod iustitia societatis humanæ deseruit terras iustissima virgo, & tùm belli rabies, & amor successit habendi. Nemo contentus sua sorte viuit, nec intra limites naturæ giratur, cuius transgreditur limites ex radice omnium malorum auaritia semine peccati, ex quo scatent necessitates, & mala, & quasi Chimeræ vno capite truncato, centum pullulant, vt adimpleatur irrefragabiliter pœnæ iniquitatis decretum: *In laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ.* Vnde rectè interpretatur Diuus Clemens in cap. dilectissimis. 12. quæst. 2.

apud

Universidad Carlos III de Madrid. Biblioteca

apud Gratianum: quia distributio, & diuisio dominij rerum ad subueniendum necessitatibus prædictis est introducta, & ratio humana huius diuisionis, veluti imago; & similitudo rationis diuinæ diuisione, quasi gyro, vallauit abyssum auaritiæ, & legem posuit aquis apetituum, & affectuum humanæ corruptionis. Itaque negare rerum diuisionem hæresis damnata est, illorum qui se Apostolicorum nomine iactantes res, & coniuges communes, sine diuisione esse dicebant, contra quos surrexit D. Augustinus lib. de hæres. 40. & Concilium Constantiense contra excitantem Ioannem Hus, qui Clericos posse negabat priuatum quidquam possidere: scimus etiam ab initio Abram, & Lot, viros religiosissimos, & amicos Dei res proprias, & distinctas habuisse, ita vt alter dexteram, alter sinistram terræ, ad quam pergerent, ne iurgium esset inter se, & pastores suos, elegissent, Genes. cap. 13. num. 6. Neque est necesse ad æquitatem huius ratiocinatæ diuisionis, vt perfectè finem assequatur: quia impotens est ex corruptione naturæ: satis quippè est illa pro sua facultate stabilire, quæ ad illum finem præuia dispositione accommodantur, vti eruditè respondet Soto lib. 4. de iust. quæst. 3. art. 1. in 3. ration.

CAPVT V.

Enodantur verba difficillima Diui Augustini, circa originem dominij priuati, & diuisionis rerum.

SVMMARIVM.

1. *Text. in cap. 1. dist. 8. elucidatur.*
2. *Vis directiua rationis ex iure gentium, vis coactiua ex iure ciuili.*

Iura-

3. *Iura Imperatorum directiuè sunt iura gentium, & iura gentium coactiuè sunt iura Imperatorum.*

NEc ratio, & diffinitio iuris gẽtium prædicta mu-
fraga est vulgari scopo, quòd Ecclesiæ Hierosolymitanæ, & sancti Patres semper illo idiomate vtantur, *Vt omnia sint communia*, quia amicorum, & perfectorum omnia debent esse communia, vnde Diuus Augustinus in regula sua instituit, & super Ioan. 1. tractatu 6. refertur in cap. 1. distinct. 8. *Sit vobis* (decernens) *anima vna, & cor vnum in Deo, & non dicatis aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia*, & iterum super Ioannem *tolle* (inquit) *iura Imperatorum, & quis audet dicere, mea est illa villa, aut meus est ille seruus, aut domus hæc mea est*, &c. Quibus videtur, possessiones, & dominia fuisse diuisa iure ciuili, hoc est, Imperatorum, non communi, & vniuersali iure gentium.

Dicterio enim vltimo distinctione primũ satisfaciam: quia ibi Diuus Augustinus inuehit contra Donatistas, qui querebantur ex eo, quòd possessiones eorum publicatæ fuissent propter hæresim, & applicatæ Ecclesiæ, decreto, ac edicto Imperatorum Arcadij, & Honorij filiorũ Magni Theodosij, circa annum 395. qui cum Gratiano, & Valetiniano velut nutriti fideli lacte Diui Ambrosij, & Hieronymi, & Augustini, circa annum 385. (ait Mariana lib. 4. histor. cap. 20. & 21.) decreuerunt omnes suos subditos profiteri sub fide sancti Damasi Romani Põtificis, & damnauerunt omnes hæreticos relatos in l. 5. C. de hæreticis, vbi etiam similes anteriores leges confirmant, & ædificia vindicanda fore venerandæ nobis Catholicæ Ecclesiæ præcipiunt, quo edicto Donatistæ fuêre incursi, ibi *Donatistæ, Audiani*, &c. & in lege cuncti. 3. ibi *Cuncti hæretici proculdubiò nouerint omnia sibi loca adimenda esse*, & infra, *His ædibus, vel locis priuatis Ecclesiæ Catholicæ vindi*

can-

Universidad Carlos III de Madrid. Biblioteca

candis, & in l. sequenti 4. ibi *Manichæos seu Manichæas, vel donatistas meritissima seueritate persequimur*, & toto tit. C. de hæreticis, & idem D. August. tom. 7. aduersus donatistas, vbi minimè negat diuisionem dominij rerũ: sed defendit leges illas, & iura Imperatorum, qui publicatione bonorum, & alijs pœnis compescere conati sunt hæreticam prauitatem: imo legitimè etiam infertur, quod si bonis priuantur, sua ante delictum fuisse, & publicationem. Illa autem verba dict. c. 1. dist. 8. *Iure tamen humano dicitur, hæc villa mea est, hæc domus mea, & c. tolle iura imperatorum, & nemo audet dicere mea est illa villa.* Quasi quòd communis sit ablato iure ciuili: distinguenda sunt ex vi directiua, & coactiua, & ex iure humano gentium, & iure humano Imperatorum, vis directiua enim, ex iure gentium, siue ratione naturali oritur: vis autem coactiua, ex iure Imperatorum, & illa vis directiua, hac coactione defenditur, & adseruatur: si hanc tollas, illa corruet: igitur, vt tueatur vis directiua diuisionis, ac distributionis rerum, necessaria est coactiua, & si tollas hãc, idest iura Imperatorũ, quis audet dicere mea est illa villa: quia quamuis oderunt peccare boni virtutis amore, mali autem, & præcipuè hæretici, non nisi formidine pœnæ, itaque iura humana gẽtium coactiuè iura Imperatorũ sunt, & iura Imperatorum directiuè sunt gentium iura.

CAPVT VI.

Ratio quare sint omnia communia apud perfectæ naturæ sectatores.

SVMMARIVM.

1. *Regulæ sanctorum Patrum ad perfectionem Euangelicam currunt.*

Universidad Carlos III de Madrid. Biblioteca

2. *Lex charitatis à natura profluit.*
3. *Text. in cap. 2. 12. quæst. 1. expenditur.*
4. *Communia debere esse omnia omnibus, de iure naturæ perfectæ intelligitur.*
5. *Quod in natura perfecta, & in Euangelio continetur.*
6. *Licita est diuisio rerum, sed communio earum beatior, & perfectior.*

1 RElegiones autem, & sanctorum Patrum regulæ, ac institutiones, ad perfectionem currunt Euangelicam: quia primam illam iustitiæ originalis naturam incorruptam ambiunt. Qua redemptione instaurata Actuum Apostol. cap. 4. dicitur. *Multitudinis credentium cor vnum erat, & anima vna, ne quisquam eorum, quæ possidebat aliquid suum esse dicebat; sed erant illis omnia communia, repleti enim erant omnes Spiritu sancto,* eiusque consilio, *vendite quæ possidetis, & date pauperibus*, Lucæ cap. 12. quæ verba diuisionem rerum, ac distributionem supponunt, quis enim charitatis, & liberalitatis virtutem cognosceret, nisi propria agnosceret, text. in capit. sicut hi. 8. distinct. 47. quia vt inquit D. Ambrosius sermone 81. super Lucam cap. 12. *Deus tibi voluit benignitatis experimenta conferre, & alium per virtutem patientiæ coronare, & ita fecit diuites & pauperes diuisione bonorum, vt lex, & vir-*
2 *tus liberalitatis, & charitatis exerceatur.* Lex enim charitatis à natura profluit: quia cognationem quandam inter nos natura constituit, itaque ipse Ambrosius, ait, *Neque enim minus est crimen habenti tollere, quam cùm possis, & abundes indigentibus denegare*, propria agnoscit, ac diuisa, sed sub tributo, ac censu alendi pauperes: inde inuehit in auaros, quis enim, tam iniustus, tam auidus, tam auarus, quàm qui multorum alimenta, suum non vsum, sed abundantiam, & delicias facit, ita intelligitur, ibi: *O stulte, & impudens dictum propria dicis. &c. proprium nemo dicat, quod*

Universidad Carlos III de Madrid. Biblioteca

quod est commune, quod plusquam sufficeret sumptum, etiam violenter obtentum est, contra legem charitatis, & lege incorruptæ naturæ, ac perfectionē Euangelicā, Lucæ capit. 12. *Quis putas est fidelis dispensator?* dixit Creator omniū, & Dominus, *Omni autem, cui multum datum est, multum quæretur ab eo.* Fūgimur enim vice Dei, qui homines pascere, ac corbos, & vestire tenetur, & lilia: inde idem D. Ambros. in d. cap. sicut hi. & D. Chrisostom. super Lucam cap. 6. *Essurientium panis est, quæ tu detines, nudorum indumentum est, quod tu recludis, & miserorum redemptio est, & absolutio, pecunia, quam tu in terram defodis, tot te ergo scias inuadere bona, quot possis præstare, quot velis, facite vobis amicos de mammona iniquitatis*, & Martialis agnouit lib. 5.

Extra fortunam est, quidquid donatur amicis,
Quas dederis solas semper habebis opes.

Mammona enim iniquitatis pecunia dicitur: quia omnia, quæ sub patrimonio nostro, sunt pecuniæ nomine significantur, l. pecuniæ de verborum significat. quoniam omnia diuisa, ac priuata, & à communi omnium societate separata, per iniquitatem, ideſt propter iniquitatis necessitates, & sic extra naturam est donare, quod natura omnibus dedit: quia in natiua iustitia, nulla diuisio, nec diuitis, & pauperis illa inæqualitas, quare nulla iniquitas. O quam doctè exclamat Seneca lib. 7. de benefic. *Quid fœnus, & Kalendarium, & vsura, nisi humanæ cupiditatis extra naturam quæsita nomina? quid sunt istæ tabulæ, quid computationes, & venale tempus? voluntaria mala ex constitutione nostra* (hoc est ex iure gentium) prodeuntia in quibus, nihil est, quod subijci oculis, quo teneri manu possit inanis auaritiæ somnia: ita est intelligendus D. Clemens epist. 1. ad D. Iacobum fratrem domini, relatus in capit. 2. 12. quæst. 1. & ad dilectissimos fratres, & condiscipulos, quibus cibo perfectorum nutriens, ait: *Communis enim vsus omnium, quæ sunt in hoc mundo omnibus, esse omnibus*

debuit, sed per iniquitatem alius hoc suum esse dixit, & alius aliud, & sic inter mortales facta diuisio est, denique Græcorum quidam sapientissimus, hæc ita sciens esse, ait communia debere esse amicorum omnia, in omnibus autem sunt sine dubio, & coniuges, & c. Ex quibus deinde verbis duplex oritur difficultas: prima nempè communia debere esse omnia omnibus: de iure perfectæ naturæ intelligitur: quia in
4. pura ratione naturali omnis affectus, & appetitus conquiescebat, qua gaudentes Apostoli dixerunt, ecce nunc relinquimus omnia, & secuti sumus te. *Nihil enim* (ait Seneca) *ex his quæ habemus necessarium est: ad legem naturæ reuertamur, diuitiæ paratæ sunt, aut gratuitum est*, quo egemus, aut vile: *panem, & aquam natura desiderat, nemo ad hæc pauper est: intra quæ quisquis desiderium suum ducit, cùm ipso Ioue de fœlicitate contendat.* Perfecti enim conantur laborare in acquisitione gratiæ: non in multiplicatione pecuniæ diuisæ attendentes, quod eis dictum sit. *Et si bene feceritis, his qui vobis benefaciunt, quæ vobis est gratia? siquidem & peccatores hoc faciunt*, Lucæ cap. 6. *Quia maioris gratiæ est* (inquit D. Hieronymus lib. 1. contra Iouian. cap. qui sitit. 9. 33. quæst. 5.) *offerre quod non debeas, quam reddere, quod exigaris.* Perfecti enim exuũt veterem hominem, à cuius corruptione exorta fuit diuisio, & induunt nouum hominem, qui originalem gratiam instaurat, in qua omnia fuerunt communia: quia non erat necessitas, vt essent diuisa, nec partiri limite campum, fas erat in medio, Horatius epist. 12.

Pauper enim non est, cui rerum suppetit vsus.
Si venti bene si lateri est pedibusque tuis,
Nil diuitiæ poterunt regales addere maius.

5. Itaque quod in natura perfecta, & in Euangelio continetur: in eo enim præcipitur amicos, & inimicos diligere, vtique idem à natura illa incorrupta, qua nullatenus potuit cognosci amicorum, & inimicorum distinctio: quia

esse

esse non poterant inimici, qui necessariò naturæ perfectione amici forent, veluti cœliçolæ sunt. *Quoniam diuitiæ sunt sapientibus Deus* (dixit Euripides) *cætera inania verba sunt, & verborum ornamenta.* Præcipitur deinde in Euãgelio, nulla propria habere: Pater enim vester scit, quoniã his indigetis, similiter in natura incorrupta, eos pascebat Deus, sine sudore, & labore homini plantauerat Deus Paradisum voluptatis. *Nunquam parum est, cui satis est nunquam multum est, cui satis non est,* exemplo Alexandri dixit Seneca de vita beata, *Quod natura satis est homini, non inuentus est, qui concupisceret aliquid post omnia, tanta est cæcitas mentium, & tanta initiorum suorum, cum processit obliuio.* Vnde rectè docet Gratianus, cap. humanum genus, dist. 1. ius naturale esse, quod in lege, & in Euangelio continetur. Et quamuis licita sit diuisio rerum ex gentium ratiocinatione, siue iure: quæ gratia erit ijs, qui ad perfectionem anhelant? siquidem & peccatores hoc habent. *Vnde consilium dantes* (inquit D. Clemens, vbi supra) *vestram prudentiam hortamur, vt ab Apostolicis regulis non recedatis* loquitur de perfectis ad perfectos, Matth. cap. 19. cap. omnes 7. 32. quæst. 2. *Qui potest capere capiat, non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est, sapientiam autem* (vti ait Apostolus 1. ad Corinth. cap. 2.) *loquitur inter perfectos, sapientiam verò non huius sæculi, neque Principum huius sæculi, qui destruuntur, sed loquimur Dei sapientiam in misterio, quæ abscondita est, quam prædestinauit Deus ante sæcula in gloriam nostram, quam nemo Principum huius sæculi cognouit,* quorum sapientia est, vt ait Lucan. lib. 1.

Nulla fides regni sociis, omnisque potestas
Impatiens consortis.

Proprietas dominij rerum licita est; sed beatior, qui nil proprium habet, sicut qui inuptus est beatior est, *noli quærere vxorẽ,* (monet Paulus 1. ad Cor. c. 7.) *Si autẽ acceperis*

vxo-

vxorem, non peccasti, & ibi, *Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium, volo autem omnes homines esse, sicut me ipsum, sed vnusquisque proprium donum habet ex Deo, alius quidem, sic alius vero sic.* Ita similiter, alius dives, alius pauper, alius in communione, alius in diuisione.

CAPVT VII.

Ratio Platonis in instituenda Republica, vbi communia essent omnia omnibus.

SVMMARIVM.

1. *Platonis sententia elucescit, & exornatur.*
2. *Text. in cap. 2. 12. quæst. 1 explicatur, & in summa, 8. distinct.*

ILle magnus Philosophus Plato de repub. cui Aristotelem esse imparem, D. Augustinus affirmat, & refert Pater Lopez ad Boec. lib. 3. metro. 11. licèt non
1 fuerit perfectus, *Omnia* (tamen dixit) *communia esse debere.* Vidit enim lumine rationis, diuisionem rerum ex infirmitate naturæ oriri, & necessitate, captiuitatesque, & seruitutes, emptiones, venditiones, locationes, & cætera iure gentium, siue ratiocinatione in subsidium constituta, quæ non capit perfectio: quia perfectum est, quod in se habet, quidquid appeti potest, & nihil extra quęrit, vt ipse idem Plato (inquit de bono) ac exinde naturam filogyzauit perfectam, quoniam si ex infirmitate, & necessitate naturæ nascitur diuisio rerum, captiuitates seruitutes locationes, emptiones, venditiones, & cętera, ac indigentia omnis, & erumna: necessariò infertur ex perfectione omnia communia forè, omnibus communem libertatem

(sic

Universidad Carlos III de Madrid. Biblioteca

(sic intelligitur Iustinianus dicens: *Iure naturali omnes homines ab initio liberi nascebantur*, §. ius autem gentium, de iure natur.) nullamque contractuum, & rerum indigentiam: vnde quia quod perfectum est, quæri oportet, imò ad id natura ipsa impellit, dixit, *Omnia communia esse debere*, & quam bonum, & pium sit vidit quidam decedens, apud Scebolam in l. 89. §. 1. de leg. 2. l. 78. in princip. ad Trebellian. ibi: *Quidquid aut ego reliquero, aut vos ipsæ habeatis, commune vobis sit, quod si non ego rogarem, vos pro vestra pietate faceretis*. At verò conclusionem hanc (quamuis ex naturali silogismo illatam) natura: quia post peccatum prona est, & viribus attenuata, opere assequi non potest, nisi subleuetur regenerationis gratia, & nisi Deus det, ideò ipse Plato lib. de repub. dial. 5. & in Thimæo, etsi sciuit, & docuit volens instituere regnum fœlicitate illa, & perfectione, non fecit: quia etsi cognouisset, non intellexit (vti inquit Apostolus ad Roman. cap. 1.) de sapientibus illis. *Qui cum cognouissent Deum, ita vt sint inexcusabiles, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt. Dormitauerunt, qui ascēderunt equos*, ait Propheta. *At non auditores* (docet Paulus ad Roman. cap. 2.) *legis iusti, sunt apud Deum. sed factores, legis iustificabuntur*. Illi autem sapientes, non consequuti sunt operibus, quod lumine rationis cognouerunt, *euanuerunt in cogitationibus suis*, sed factores legis, veluti D. Hieronymus, D. Augustinus, D. Benedictus, D. Bernardus, D. Dominicus, D. Franciscus, & cæteri sancti Patriarchæ veri sapientes, assequuti sunt gratia Domini omniū, illam fœlicitatem, perfectionem, ac beatitudinem incorruptæ naturæ, *vt omnia sint communia* in republica, & regno suarum religionum. Sed Plato, licèt non solum ratione naturali, sed etiam Hieremiæ Prophetæ doctrina imbutus lacteque diuino nutritus, diuinus

uinus appellatus,ſcierit Deum creaſſe hominem naturâ perfectâ,non indigenâ,nec mendigâ,& per peccatũ corruptam fuiſſe neceſsitatibus,ac plenam erumnijs,& inde exemplo Hieremiæ, & doctrina perfectiorem naturam contempletur ciuitatemque perfectione conſtruere conetur ſciũt tamen non fecit:quia naturæ corruptæ,& non regeneratæ per fidem denegatur:quamuis non denegetur ſcire,& ita eſt intelligendus D.Clemens dicens in d. cap.2.12.quæſt.1.*Græcorum quidam ſapientiſsimus,hæc ita ſciens eſſe,ait omnia communia eſſe debere,* & Gratianus noſter in ſumma.8.diſt.hæc verba proferens.*Vnde apud Platonem illa ciuitas iuſtiſsimè ordinata inquaquiſque proprios neſcit affectus.Sed velle* (inquit Apoſtolus ad Roman. cap. 7.) *adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio,* Plato non inuenit licèt velle adfuit illi.

CAPVT VIII.

Ratio illibata,& pura Platonis quæritur in illis verbis, in omnibus autem ſine dubio & coniuges, *propter authoritatem D.Clemẽtis,qui ea induxit. Execratur vulgaris ſenſus, ſatisfit exemplis: & tandem ius naturale eſſe,quod in lege,& in Euangelio continetur defenditur.*

SVMMARIVM.

1. *Platonis verba* in omnibus autem ſine dubio,& cõiuges *in pium ſenſum reducuntar.*
2. *Nihil proprium priuatum,ac diſtinctum fuit in natura incorrupta,niſi vxor.*
3. *Communes,& etiam plures habere vxores eſt contra ius naturale,diuinum,& humanum.*
4. *Text.in c.iſte,c.dixit,c.obijciuntur.32.q.4. enodãtur.*

Quid-

5. *Quidquit lege Euangelica prohibetur, iure naturæ prohibitum fuit.*

6. *Scotus defenditur contra Dominicum Soto.*

ILla denique verba à Platone, d. lib. de Rep. prolata, & á D. Clemente relata, in d. cap. 2. nempè *Communia esse debere amicorum omnia in omnibus autem sine dubio & coniuges*, aut leganda sunt, *veluti coniuges habent omnia communia in omnibus.* Non diffinitione; sed exemplo, vt veluti domus sub vnico dominio regitur, licèt duo sint coniuges, & sicut in coniugio diuersa patrimonia communicantur & res: ita in republica, quia ad instar domus constituitur, & *nihil refert* (inquit ipse Plat. lib. de Regno,) *an ampla, an angusta sit vrbs ad imperium.* Quoniam sicut regnum domus œconomicum est omnis finis, omnis ornatus, omnis legis, & omnis ordinis distributio œconomonomica: ita regnum politicum teste D. Dionisio lib. de diuinis nominibus: & exinde pax beatitudo, & felicitas. Aut intelligenda sunt coniuges debere esse communes ad obsequium ad seruiendum velut fratres, & amici ad inuicem, vt in regeneratione, inquit Apostolus ad Galatas c. 5. *Vos enim in libertate vocati estis fratres tantum nè libertatem in occasionem detis carnis; sed per charitatem seruite inuicem, omnis enim lex in vno sermone impletur diliges proximum tuum, sicut te ipsum*, 1. ad Cor. cap. 10. hac dilectione communes sunt omnes ad inuicem, sine dubio & coniuges: hoc sensu admittendus est Plato, & intelligendus, nec aliter sensisse credo, (at si dixit apolactizo, & anathematizo: amicus enim Plato; sed magis amica veritas,) quem Græcorum sapientissimum canonizauit Clemens & qui vxorẽ non duxit, vt refert Labeo, & qui tantum magistrũ meruit Hieremiam, & Sacra pagina edoctus sciuit allubione destructã fuisse vniuersam terram ex eo, quòd *Omnis caro corruperat viam suã, & videntes Filij Dei filias hominũ, quod essent pulchræ acceperũt sibi vxores, ex omnibus quas elegerant.* 1

Universidad Carlos III de Madrid. Biblioteca

Vbi enim continentia? vbi temperantia? vbi fortitudo? vbi prudentia? vbi iuſtitia? ac cæteræ virtutes, & natura perfecta? vbi patres? vbi filij? cùm ſi eſſet vxor communis ad inuicem omnibus luxuriandum, nec filius ſuam exciperet patri, nec pater filio, nec ſocer generi, nec gener ſocro, & inde pater cum filia, & filius cum matre commiſceret: vbi affectio paterna? vbi obedientia filiorum? illarum gentium, de quibus Ouidius ait de triſtibus.

..... *Gentes tamen eſſe feruntur,*
In quibus & nato genitrix, & nata parenti
Iungitur.

O inſipiens, & corruptiſsima, ac contra naturam communio! ò ineptiſsima ſocietas omni genere improbitatis, & iniquitatis coadunata! quis credet eum (qui voluit iuſtiſsimè ordinare rempublicam, in qua quiſque neſciret affectus) omnis affectus, ac luxuriæ inferere laxamentum? atſi dixit, & quiſquis alius, iniquè, & improbè ſenſiſſe patet, quia vt nos docet Innocentius III. Pontif. Maxim. in capit. gaudemus, de diuortijs, *Abſonum hoc videtur, & inimicum Fidei Chriſtianæ, cùm ab initio vna coſta in vnam fœminam ſit conuerſa, & ſcriptura diuina teſtetur, quòd propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori ſuæ*: quo pacto dixit *ſuæ*? ſi communis omnibus futura eſſet: nil proprium, ac priuatum fuit in natura incorrupta, niſi vxor illo nomine *ſuæ*, vnde Apoſtolus 1. ad Cor. 7. inquit, *Vnuſquiſque ſuam vxorem habeat, & vna quæque ſuum virum*, & Diuus Hieronymus in cap. quomodo 3. 1. quæſt. 1. *vbi numerus maritorum eſt, ibi vir, qui propriè vnus, eſſe deſijt*, & iterum, *quantum diſtas in numero, tantùm & in crimine*, dictum eſt enim *erunt duo in carne vna*, non tres, vel plures, & vxori non vxoribus, & ſic teſtimonio veritatis docemur, Matth. cap. 19. & Lucæ capit. 10. & 1. ad Cor. 7. *eum qui*

di-

Universidad Carlos III de Madrid. Biblioteca

dimissa vxore aliam duxerit mœchari, etsi dimissam duxerit; nequiùs igitur ipsa retenta, capit. non mœchaueris 32. quæst. 6. cap. quemadmodum. 10. cum sim. 32. quæst. 7. vnde ergo vxorum omnibus prostituta societas iniquissima? & licèt Abulensis, & alij videantur insinuare plures habere vxores, non esse contra ius diuinum, & naturale: aliud tamen est, & turpius communes habere vxores, quam plures habere, siquidem plures vnum tantum virum habent, non omnes, & suas proprias, non communes: vtrumque absonum quidem, & turpè, ac naturæ contrarium est, rationi, legique diuinæ, & humanæ, de hac re D. Anton. 3. part. tit. 14. concl. 10. §. 2. Soto in 4. distinct. 33. quæst. 1. art. 2. & lib. 4. de iust. quæst. 3. artic. 1. Ledesm. in 24. quæst. 67. art. 1. Enriquez in Apol. in Arch. Tol. 2. part. cap. 43. Maior. in 4. distinct. 33. quæst. 1. art. 2. Dried. de libert. Christian. pag. 163. Bañes ad. 1. part. D. Thom. quæst. 92. artic. 2. Doctores Canonistæ in d. cap. gaudemus, & in d. iuribus, Couarru. in 4. 2. part. cap. 7. §. 3. num. 2. Abulens. super Matth. cap. 19. quæst. 30. Quamuis quod tolerabilius est, nempè plures habere, permissum fuerit, quoniam aliud est præcipere, aliud permittere, quod enim permittimus (inquit D. Chrisostomus in cap. 9. 31. quæst. 1.) nolentes præcipimus. quia malas hominum voluntates ad plenum prohibere non possumus: *Est enim permitti* (ait Consultus, l. 3. de pub. iudic. *idem quod remitti*, quia quid permittitur? nisi quod natura, aut lege prohibetur. Vnde Dominus, ait illis, Matthæ. capit. 19. Deuteronom. cap. 24. *Quoniam Moyses ad duri iam cordis vestri permisit vobis dimittere vxores vestras; ab initio autem non fuit sic*, ideſt à iure naturæ: ita respondent D. Ambrosius, & Diuus Augustinus in cap. iste cap. dixit, cap. obijciuntur. 32. quæst. 4. quod obijciuntur Abrahæ duæ vxores simul Sara, & Agar: & Iacob quatuor, *Sed quando mos erat* (scilicet permissus) *crimen non*

erat, & iterum, *quia non concupiſcentia percipiendæ voluptatis, ſed prouidentia propagandæ ſucceſſionis, & miſterioſæ rei abditæ Sacramento*, quod profectò, vt docet idem Diuus Auguſtinus lib. 15. de ciuitate Dei, capit. 36. cap. 1. 35 quæſt. 1. cap. 4. 27. quæſt. 1. *Quantò eſt antiquius compelente neceſſitate, tantò poſtea factum eſt damnabilius religione prohibente: ſeruierunt illi legi, & tempori ſuo; ſeruiamus & nos Euangelio, & tempori noſtro.* Et illis etiam propter rei Sacramentum à Principe, & Authore naturæ permiſſum fuit, & indultum: ergo lege ordinaria naturæ prohibitum; & ſic perſonales nec ad exemplum trahuntur, quoniam hoc non Princeps vult, §. ſed quod Principi, inſtit. de iur. natur. nam quod alicui ob meritum indulſit, vel ſi cui ſine exemplo ſubuenit, perſonam non tranſgreditur; aliæ autem cùm generales ſint omnes proculdubiò tenent. *Quoniam* (vt ait Marcellus l. 28. ff. de legat. 2.) *quod illius perſonæ præſtaretur, hoc nequaquam ad alium pertinere deberet.* Nec *dicet figmentum ei, qui ſe finxit, quid me feciſti ſic? an non habet* (ait Apoſtolus ad Roman. cap. 9. Iſai. cap. 45. Hier. cap. 18. Sapient. cap. 15. ſimul ad Galatas cap. 3. ad Roman. 6.) *poteſtatem figulus luti ex eadem maſſa facere, aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam, euacuata eſt denique lex vetus, quia tùm pedagogus erat, & propter tranſgreſſionem poſita: gratias autem Deo, quod fuiſtis ſerui peccati obediſtis autem ex corde in eam formam doctrinæ in qua traditi eſtis, liberati autem à peccato ſerui facti eſtis iuſtitiæ.* Seruii rectæ rationis, ſeu iuſtitiæ incorruptæ primæ naturę, cuius iuſtitia, & vniuerſa lex, ex duobus mandatis pendet, vti nos docet ipſe Author, & Regenerator naturæ, Matth. capit. 22. num. 37. Marci cap. 12. num. 31. Deuteronom. cap. 6. num. 5. ad Galatas capit. 5. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua, hoc eſt maximum, & primum mandatum*

4

Universidad Carlos III de Madrid. Biblioteca

datum, ſecundum autem ſimile eſt huic diliges, proximum tuum ſicut te ipſum, in his duobus mandatis vniuerſa lex pendet, & prophetæ. Hæc eſt omnis lex primæ naturæ perfectæ, hæc ergo eſt omnis lex Euangelica: quia omne quod in Euangelio continetur liberatos per fidem à lege peccati ad illam primam naturæ perfectionem conducit; vnde meritò dixit Gratianus, capit. humanum genus diſtinct. 1. *Ius naturale eſt, quod in lege, & in Euangelio continetur*, quia vt docet Diuus Hieronymus in capit. 2. diſtinct. 35. *poſtquam autem Chriſtus venit in fine temporum, & Omega, reuoluit ad Alpha, & extremitatem retraxit ad principium.* Itaque quidquid lege Euangelica prohibitum, & ſtatutum eſt, de iure naturæ prohibitum, & decretum præter ſacramenta de fide ſubſcribit Diuus Thomas 1. 2. quæſt. 98. artic. 1. & quæſt. 104. artic. 3. & quæſt. 108. artic. 1. & cùm Magiſtro Sententiarum omnes Theologi in 4. diſtinct. 3. & cùm Gratiano omnes iuris atletæ; & D. Præſes Couarrubias plures referens in 4. capit. 6. §. 1. à num. 1. Ex quibus poteſt defendi Scotus in 4. diſtinct. 15. quæſt. 2. qui per naturæ corruptionem fuiſſe iuri naturæ derogatum ſcribit, quidquid contrarium aſſerat Dom. Soto lib. 4. de iuſtit. quæſt. 3. artic. 1. in reſp. ad 1. vidit enim Scotus iure naturæ in corruptæ omnia communia eſſe: at verò iure naturæ corruptæ omnia diuiſa, ac priuata eſſe. Vidit in perfectione natiua rationem dominari, ac imperare, & paſſiones corporiſque affectus ſeruire, & obedire, ſed quæſita corruptione paſsiones dominari, rationemque ſeruire. Vidit iure ingenito omnes liberos, omnes amicos, omnes ad inuicem conſentientes, nullam amicorum, & inimicorum diſtinctionem. Videt autem corruptâ naturâ hominem homini inſidiari; vniuerſos diſſentientes, pugnantes, ſeruientes, dominantes, homici-

5

6

micidas, adulteros, furantes. Vidit denique ingenita perfectione hominem diligere Dominum Deum suum ex toto corde suo, & proximum sicut semetipsum: videt autem corruptione Idola colere, & occidere proximum, atque insidiari: vbi ergo est ius naturæ? siquidem ius naturale nihil aliud est, quàm perfectio naturæ: & omnes declinauerunt simul inutiles facti sunt, omnis denique homo mendax, quid est omnis homo mendax? nisi quòd mentitur naturæ suæ: vbi igitur est perfectio naturæ, siue ius? *Summa* (autem ait Seneca epistol. 95.) *illa ac pulcherrima omnium natura quos periculo exemit, nec periculosos quidem fecit: homo sacra res: homo iam per lusum, & iocum occiditur, & quem erudiri ad inferenda accipiendaque vulnera nefas erat, is iam nudus inermisque producitur, satisque spectaculi in homine mors est, in hac ergo morum peruersitate desideratur solito vehementius aliquid, quod mala inueterata discutiat: decretis agendum est* (hoc est rationis legibus) *vt reuellatur penitus falsorum recepta persuasio.* Quoniam leges iuris gentium, & ciuilis potiùs sunt ratiocinata subsidia infirmitatibus, & necessitatibus naturæ corruptæ, quam ius naturale: hinc seruitutes dicuntur esse naturali iuri contrariæ, §. ius autem gent. inst. de iur. natural. Et patet abrogatam fuisse perfectionem naturæ rationalis, vsque dum reformata, & regenerata fuit ab ipso Authore naturæ, & inde ius naturale humanæ naturæ in Euangelio restauratur, *Vt quid enim Christus, cum adhuc infirmi essemus* (inquit Apostolus ad Roman. cap. 5. ad Hebræos cap. 9.) *secundum tempus pro impijs mortuus est? vix enim pro iusto quis moritur, nam pro bono forsitam quis audeat mori.* In impio quo pacto potest esse ius, in iniquo æquitas naturæ; in opere mortuo perfectio? vbi ergo ius naturale? Distinguendum tamen

men est, quòd ius naturale humanæ naturæ, siue lex scripta in cordibus nostris (*propter quòd inescussabilis, ò homo omnis, qui iudicas*, ad Roman. cap. 2.) non sublata, sed viribus tantùm attenuata, ita vt *Non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum*, & inde, *velle adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio*, ad Roman. cap. 7. vnde Diuus Augustinus lib. de liber. arbit. ad Valentinum cap. 4. cap. gratia. 145. de cons. distinct. 4. *Gratia quæ per Iesum Christum datur, non solum peccatorum remissionem facit, sed etiam, vt lex impleatur, vt natura liberetur, nè peccatum dominetur*, cum intelligentia etiam eiusdem sancti Doctoris, ibi: *Non ex eo, quòd quisque baptizatur omnis vetus infirmitas in eo absumitur, sed renouatio incipit à remissione omnium peccatorum, & intelligentia, & operatione spiritualium*, & iterum, *nam in baptismo quamuis plena fiat remissio peccatorum nondum tamen plena est nouitas, & perfecta mutatio, quia adhuc remanet corruptio, non solum in corpore, sed etiam in animo, qui est homo interior, in quo si perfecta esset nouitas, non diceret Apostolus quòd renouatur de die in diem*, 2. ad Corinth. 4. Et sic homines adhuc vtuntur diuisione rerum, regnis, seruitutibus, ac cæteris iuris gentium subsidiarijs humanarum necessitatum remedijs, nisi qui perfectè renouati eis non indigent veluti Apostoli omnia relinquentes, & imitatores eorum, ad quod *Non solum scientiam, sed etiam vires dedit remissio peccatorum*, vt regnet lex illa primæ, & perfectæ naturæ, & subiaceat lex peccati, vt definiuit Concilium Melebitanum, (cui Diuus Augustinus interfuit) tex. in cap. placuit. 154. cap. quisquis pen. de consecrat. dist. 4.

(·:·)

CAP.

CAPVT IX.

Quiditas dominij homini condonati in Paradiso ab ipso Authore naturæ, eadem ac ipsamet est dominij, quo nunc omnes gentes vtuntur.

SVMARIVM.

1. *Dominij essentia hodie eadem, quæ fuit data homini in Paradiso.*
2. *Conradij, & Anast. Germonij sententia reijcitur.*
3. *Text. in cap. ius naturale dist. 1. nouè elucidatur.*
4. *Vtilitas hominis est finis rerum omnium, quæ illi subijciuntur.*
5. *Ouidij dicterium relegatur.*
6. *Non solum ciuiliter, sed etiam naturaliter oportet, nè quis sua re malè vtatur.*

QVoniam primordium rei, & lex in exordio data totam ipsius continuationem informat, vt iuris Choriphei testantur, l. 3. §. Seio, ff. de minoribus, l. cum filius, §. hæres de legat. 2. l. in ratione, §. si filio, ff. ad leg. Aquil. l. vnic. C. de impon. lucrat. lib. 10. silogizare opere pretium duxi, vtrùm quiditas dominij humanæ condonati naturæ sit eadem, ac ipsamet dominij, quo nunc omnes gentes vtuntur, *Et propter legem in exordio datam aquæ formam capit, & originem*, affirmatiuè respõ
1 deo, dictum est enim *dominamini piscibus maris, volatilibus cœli, & vniuersis animantibus*, (Genes. cap. 1.) *& vniuersæque creaturæ*, & iterum, *dedit illi potestatem eorum, quæ sunt super terram, & posuit timorem eius super omnem carnem, & domi-*

Universidad Carlos III de Madrid. Biblioteca

dominus est bestiarum, & volatilium, & rursus, *omni homini Deus diuitias dedit, atque substantiam, potestatemque tribuit, vt comedat ex eis, vt fruatur parte sua, & lætetur de labore suo*, Eccles. cap. 17. & cap. 5 præteritum, & præsens tempus iungit, sapiens, in referenda quiditate dominij illis verbis. *Dedit vt comedat, vt fruatur, vt lætetur*, ita Deus ipse concedendo dixit: *Dominamini* confirmando autem dixit, Genes. cap. 1. & cap. 9. *Tradidi vobis omnia, vt sint vobis in escam, vt habeant ad vescendum*, ab exordio enim totam ipsius dominij cõtinuationem informat. Vnde admittendus non est Conradus de contract. quæst. 15. capit. 4. nec eius sectator, & amicus meus vir quidem eruditissimus Anastasius Germonius Archiepiscopus, & Comes Tarantasiæ Alobrogumque legatus, sed magis amica veritas: scripsit enim lib. 3. de sacr. imm. cap. 18. num. 30. & insinuat. lib. 1. quem prope mortem edidit, de legatis Princ. cap. 10. num. 14. *In primis naturalibus propriam cuiusque rerum vsus possessionem, imò possessionem ad vsum, non dominium fuisse, id enim solam legem introduxisse*, vbi ergo, mi Germoni, dominium, quod Deus homini dedit? nec me mouent verba Gratiani hæc: *Communis omnium possessio, & vna omnium libertas, atque acquisitio eorum, quæ cœlo, terra, marique nascuntur*, cap. ius naturale distinct. 1. possessio enim, & acquisitio effectus sunt, & fructus ex radice dominij, seu iuris possidendi, & acquirendi pululantes: quis igitur effectum priorem esse, quàm causam concedat? siue possessionem antea fuisse, quã ius possidendi, & acquisitionem antea, quàm ius acquirendi? idem est dicere possessionẽ esse à iure naturæ; dominium autẽ à lege hominũ; sed mutauit quidẽ rhetoricè effectũ pro causa: quia ex eo cuique acquisitio conceditur eorũ, quæ cœlo, terra, marique nascuntur, quoniã ius acquirẽdi, nõ de nouo; sed vtẽdi, & possidendi, omnibus cõmune à natura institũ est, nullo alio pondere, & mensura, nisi possessione re-

Universidad Carlos III de Madrid. Biblioteca

rum vsum hominibus natura distribuit; sed omnibus ius
commune, & pro indiuiso ad huiusmodi distributionem
concessit, hoc est dominium, ideſt, *Potestas de re corporali*
liberè, & plenissimè disponendi, l. fin. §. fin autem, C. de iur.
dom. impetr. prouenit quidem à ratione humana imagi-
ne, & similitudine Dei, & exinde libera, & plenissima est,
& cum ratione, potestas enim nulla irrationalis, hoc est
absoluta homini à natura tribuitur, nec cuiquam conce-
di oportet. *Non quod hæredibus displiceret* (dixit Scebola
l. Thais, §. à sorore de fideic. liber.) *sed id quod viro bono*
4 *posset placere*. Et ratio huius dominij, seu potestas quoad
vsum est vtilitas hominis, tanquam finis omnium, quæ hu
mano supposita sunt dominio: quia dictum est. *Quasi olera*
virentia tradidi vobis omnia, vt sint vobis in escam, & iterū,
vt habeant ad vescendum, & rationem huiusmodi potesta-
tis agnouit Philosophus 1. Pol. cap. 4. & 2. ethic. cap. 3. di-
cens *Omnia corporea facta esse propter hominem, quia infe-*
riora creata sunt propter ea, quæ sunt perfectione præstātia,
& rursus, *omnīū finem hominem esse*. Hæc inde potestas ple-
nissima est occidendi omne, quod mouetur, & viuit in
aëre, aqua, & terra, ita docet D. Augustin. contra Faustū,
& Manichæos, lib. 1. de ciuit. Dei. *Nam iustissimè ordina-*
tione Creatoris, & vita, & mors eorū nostris vsibus subditur,
& definijt Concilium Martini Papæ contra eosdem Ma-
nichæos, vt refertur apud Gratianum, cap. siquis. 17. dist.
30. dicens: *Siquis etiam non pro abstinentia, sed pro execra-*
tione escarum à carne abstineat, placuit sancto Concilio, vt
prægustet, & sic si vult abstinere abstineat, si autem spernit,
ita vt olera cocta cum carnibus non deguſtet iste non obediens,
nec suspitionem hæresis à se remouens deponatur de ordine
Clericatus, & D. Hieronymus contra Iouianum ait, capit.
ab exordio. 35. dist. *quia vt inquit Apostolus, qui non man-*
ducat manducantem non iudicet, bonum est non manducare
carnem propter abstinentiam, aut ne frater scandalizetur,

& in-

& infirmetur, sed non est malum carnem mandacare, siquidem facultas viscendi carnibus ab ipso Deo concessa fuit: perfectius est abstinere, sed qui non manducat manducantem, non iudicet, Soto lib. 5. de iustit. & iur. quæst. 1. art. 1. Itaque cauendum ab Ouidio 5. Metamorphos. qui licet non ieiunus manducantem iudicat his versibus. 1

Heu quantum scelus est in viscere viscera condi,
Congestoque auidum pingescere corpore corpus,
Alterius que animantem animantis viuere letho.

Illinc etiam potestas secandi arbores, & comburendi ligna, vas & domum euertendi, ac in puluerem reducendi cætera omnia, quæ tradita sunt homini ad vtilitatem ipsius: indeque non est potestas abutendi, quia male vti re, & dominio, non est vtilitas vtentis, & dominantis, sed damnum: vnde natura non tradidit dominium ad abutendum rebus, sed ad vtendum: itaque non solum expedit ciuiliter Reipublicæ, sed etiã naturaliter sibi nequis sua re male vtatur, Iust. in §. sed & maior inst. de his, qui sunt sui, vel al. Guido Papa quæst. 91. l. vnic. C. de emendat. seruorum. 5 6

CAPVT X.

Ratio quarè homo non sit suorum membrorum dominus.

SVMMARIVM.

1. *Homo quarè non sit dominus membrorum suorum.*
2. *Text. in cap. 9. 33. quæst. 5. explicatur.*
3. *Anima non habet in corpus dominicum imperium, sed despoticum.*

Universidad Carlos III de Madrid. Biblioteca

EX eo, quod omnia corporea, quæ mancipio, manui, & potestati hominis Deus subiecit partialia sunt, & communia cum corpore humano, excitatur quæstio, vtrùm homo sit membrorum suorum dominus. Sed rectè decisa est negatiuè ab Vlpiano l. liber homo ad l. Aquil. asserente. *Dominus membrorum suorum nemo videtur*, & fideliùs ab Apostolis vniuersalis Domini, Canone 22. & 23. Apostolorum, cap. siquis 4. cum sequentib. ex Concil. Arelatensi cap. 1. cap. 7. ex Concilio Niceno 55. dist. & à Sacrosancto Concilio Niceno contra abscisionem, & intelligentiam Origenis, qui se castrauit, circa annum 230. & postea iuxta annum 400. renixit illius error authore Eunomio, ex quo Eunomiani asseclæ fuerunt, contra quos plurima etiam ab Imperatoribus decreta. *Eunomiani enim spadones, nec faciendi, nec adipiscendi habeant licentiam testamenti*; & ibi, *quorum furor tantum suasit errorem è ciuitatibus pellantur extorres*, l. Eunomianis, l. Doctores cum sequentib. l. Eunomiani, C. Theod. de hæreticis, l. fin. C. nè sanct. baptismum iteretur, C. eod. Theod. de quibus vide Eunuchum eruditissimæ Amaiæ, quem veneror præceptorem, lib. 3. obseruat. cap. 6. & ratio est, quia in abscisione membri, nulla vtilitas corporis, & animæ versatur: inde quando vtilitas adest, & necessitas totius corporis vrget, iure conceditur, capit. siquis à medicis, cum alijs distinct. 55. cap. ex parte el 2. de corpor. vitiat. quoniam vnusquisque ius habet propriam seruandi vitam, sed absque hac necessitate, & vtilitate recedit ab eo, quod est secundùm naturam, imò contra ipsam operatur, & authori iniuriam infert, vti docet Diuus Damascenus lib. 2. *Authori Deo qui ipse corpus hominis plasmauit suis membris integrum, iniuriam infert, & Dei conditionis inimicus fit, qui tanti authoris opus deformat: dictum est enim: Opus manuum tuarum ego sum*, & per Isaiam cap. 45. num. 9. *Vè qui contradicit factori suo testa*

1

de

de sanctis terra, nunquid dicet lutum figulo suo, quid facis, & opus tuum absque manibus est? & Sapient. capit. 15. num. 7. *Horum autem vasorum, quis sit vsus, iudex est figulus*, idem per Hieremiam cap. 18. & per Apostolum ad Romanos cap. 9. num. 20. Ex quibus patet hominem non esse membrorum suorum dominum, & sic abscisione eorum contradicere factori suo, & fugere agonem, & certamen, & non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit, text. in capit. siquis 9. dist. 55. *Tu ergo quis es*, qui iudicas alienum seruum? domino suo stat, aut *cadit, stabit autem: potēs est enim Deus statuere illum*, & infra: *Nemo enim nostrū sibi viuit, & nemo sibi moritur, siue enim viuimus, domino viuimus, siue enim morimur, domino morimur, siue ergo viuimus, siue morimur domini sumus: quia ipse est Dominus Deus noster: nos autem populus eius, & oues pascuæ eius*, Psalm. 94. & nos verè mācipia sumus Dei nostri, vti etiam agnouit Plato lib. in Phædone, Giphan. lib. 7. Et hic. c. 7. duplici ratione: quia homo à Deo in custodia corporis collocatus est, & quia veluti mācipium magnoperè irritaret dominum suum, si sibi, aliqua amputaret mēbra, & Philosophus ex eo, quod si iniuriam irrogat Reipublicæ, quanto magis domino, & factori suo, qui solus est vitæ, & mortis Dominus. *Tu es Domine, qui vitæ, & mortis habes potestatem*, Sap. c. 16. & iterū, *ego occidam, & ego viuere faciam*, Deuter. c. 22. Et ex ea quidem ratione, quia membra corporis plasmata sunt à summo Opifice ad seruiēdum, vt Apost. docet ad Rom. c. 12. *Nunc autē multa quidem membra, vnū autē corpus, nō potest autē oculus dicere manui: opera tua non indigeo, aut iterū caput pedibus, nō estis mihi necessarij; sed multò magis, quæ videntur mēbra infirmiora esse, necessaria sunt, & quæ putamus ignobiliora mēbra esse corporis, his honorem abundationem circundamus, & quæ inhonesta sunt nostra abūdatiorem honestatem habent, honesta autē nostra nullius egent, sed Deus temperauit corpus ei, cui deerat abundatiorem tribuendo honorem.*

Neque

Neque obstant verba Matthæi cap. 19. text. in capit. 9. 33. quæst. 5. ex ore domini nostri, ibi: *Mihi illi Eunuchi placent quos castrauit, non necessitas, sed voluntas libenter eos in meos sinus recipio, qui se castrauerunt propter regna cælorũ, & ob mei cultum nolluerunt esse, quod nati sunt*, quia rectè dissoluit glossa apud Gratianum. *Qui se castrauerunt voluntate, non culto, & voluerunt esse, quod nati sunt, ideſt virgines, ita legit glossa, vel noluerunt esse, quod nati sunt, ideſt generatores, quod imperatum non erat eis.* Sed Dei cultui se obtulerunt, castitatem vouentes. Deinde, quia nulli rei tradita est à natura internicies sui ipsius, sed conseruatio, & sic non rectè huic inducitur Philosophi axioma in post. Analyt. *Propter quod vnumquodque tale, & illud magis*, quoniam omne aliud viuens, quia non viuit, nisi ex elementis, quæ etiam dominio hominis, & ad vsum, & vtilitatem eius tradita sunt: itaque vita quoque, & mors vniuersorum, *Quæ mouentur in terra, & in quibus est anima viuens, vt habeant ad vescendum*, d. cap. 1. Genes. & capit. 9. Traditum est igitur liberè, & plenissimè, sed in membris corporis humani, quæ sunt instrumenta actionis, & operationis humanæ inest ipsamet, domina anima rationalis, & idem ius est de toto ad partes, quod de partibus ad totum, vnde homicida sui est, qui sibi membrum abscide-
3 rit, non enim anima habet in corpus dominicum imperium, sed despoticum, vti docet Aristoteles 1. Pol. cap. 3. Soto lib. 4. de iustitia quæst. 2 artic. 3. & lib. 5. quæst. 1. art. 1. cum sequent. & patet, quia anima naturaliter respicit conseruationem, & vtilitatem membrorum corporis, quod viuificat. At verò rerum, quæ sub dominio nostro sunt veluti domus, vestis, equi, cæterarumque vtilitatem, non respicimus, sed nostram easque diligimus, propter nos ipsos, non propter ea; sed membra diligimus propter ea, tanquam partes totius nostri.

CAP.

Universidad Carlos III de Madrid. Biblioteca

CAPVT XI.

Ratio Hierarchiæ, & Imperij in homines, non dominij inuenitur in natura perfecta.

SVMMARIVM.

1. *Hierarchia humana quo pacto esse debet.*
2. *Non natura, sed ministerio, ordine, & compositione diuersificamur.*
3. *Imperium in fœminas, & in liberos secundum debitum ordinem naturæ est.*
4. *Imperare, & obedire recto suo tramite ipsamet natura docet.*

IN natura quidem incorrupta hominum Hierarchia 1
esset, veluti Angelorum: quia omnia quæ à Deo, sunt ordinata sunt, itaque quosdam plus, quosdam minus sublimaret, non intuitu pœnę, aut præmij, sed gratiæ suæ, & quantum ad iustitiam, & quantum ad scientiam, & circa animam, & circa corpus, vt ex D. Thoma, docent Bañes ad 1. part. D. Thom. quæst. 97. art. 3. & 4. & Soto lib. 4. de iustit. quæst. 2. art. 2. quoniam perfectum, perfectius, & perfectissimum natura etiam eiusdem speciei gyro circunscripsit, & pulchritudo ordinis magis in hominibus reluceret, secundum illud Principis Petri 1. epistol. capit. 4. *Vnusquisque sicut accepit gratiam in alterutrum illam administrantes*, & Hierarchia humanæ naturæ esset veluti vnum corpus, & corpus (vt inquit Apostol. de Hierarchia Ecclesiæ ad Romanos cap. 12.) *non est vnum membrum, sed multa*, & infra, *nunc autem posuit Deus membra vnumquodque eorum in corpore, sicut voluit, quod si essent omnia vnum membrum, vbi corpus? nunc autem multa,*

qui-

Universidad Carlos III de Madrid. Biblioteca

quidem membra, vnum autem corpus, non potest autem oculus dicere manui: opera tua, non indigeo, aut iterum caput pedibus: non estis mihi necessarij. Et idem ordo, qui in natura regenerata præcipitur, in natura incorrupta seruaretur: quia (vt docet D. Gregorius lib. 21. Moral. cap. 11. & in 2. past. cap. 6.) *homo animalibus irrationalibus, non autem alijs hominibus natura prælatus est, qui non, vt animalibus præfertur dominio, sed vt Angelus Angelo ordine Hierarchiæ,* quod regeneratur, naturæ instaurat, dicens, *Reges gentium dominantur eorum, vos autem non sic,* quia omne quod in Euangelio continetur ius primæ naturæ est. Huic quæstioni eruditè respondet Seneca: an sapiens sapienti prosit, scire desideras, dicimus: plenum omni bono esse sapientem, & summa adeptum, quomodo prodesse aliquis possit summum bonum habenti, quæritur: prosunt interse boni: exercent enim virtutes, & sapientiam in suo statu cõtinent: desiderat vterque aliquẽ, cum quo conferat, cum quo quærat, peritos luctandi vsus exercet: musicum qui paria didicit monet: opus est & sapienti agitatione virtutum, ita quemadmodum ipse se mouet, sic mouetur ab alio sapiente, quid sapiens sapienti proderit? occasiones actionum honestarum commonstrabit, &c. vti dicitur de Daniele, qui superabat omnes Principes, & Satrapas: quia spiritus Dei amplior erat in illo, ita vnusquisque adimpleret munus suum, & ministerium, sine inuidia, & æmulatione gratiam, quam acceperat in alterutrum administrans, naturaliter tunc, vt Angelus, quod nunc gratia, vt iustus: quia *Quando multa ordinantur ad vnum* (vt scribit Philosophus in principio Politic.) *semper inuenitur vnum, vt principale, & dirigens,* & D. Augustinus de ciuit. Dei lib. 19. cap. 14. *Iusti non dominandi cupiditate imperant, sed officio consulẽdi: hoc naturalis ordo præscribit.* Quoniam inconueniens esset, & est, vt præstantior scientia, & iustitia, non vteretur ea in aliorum vtilitatem, nondum (in-

(inquit Seneca epist. 95.) in tantum nequitia surrexit, nec tam latè se sparserat poterant vitijs simplicibus obstare remedia simplicia, nunc necesse est tantò operosiora esse munimenta, quanto valentiora sunt, quibus petimur, & Poeta quidam.

Attollens humeris claudum, qui luce carebat,
Claudi oculis dubiam tentat inire viam,
Coniunxere simul, quod sors vtrique negauit,
Natura ambobus tùm satis vna fuit.

Quoniam per iniquitatem, sicut alius hoc esse dixit suũ, alius illud, cap. 2. 12. q. 1. ita aliter, quàm est vsurpat imperium: omnes enim Rectores esse volunt: Rectores fieri dominos: ac dominos, vti Deum adorari cupiunt, imò & statuam eorum, veluti Nabuchodonosor, sed *ferrum mistũ testæ ex luto commiscebuntur quidem humano semine, sed non adhærebunt sibi, sicuti ferrum misceri, non potest teste*, Dan. cap. 3. & 4. O inordinata, & sic contra naturam compositio statuæ, caput auri, pectus, & brachia argenti, venter, & femora æris, pedum quædam pars ferrea, quędam fictilis, quid spectas; nisi ictu vnius lapidis cõtritionem. Reges aurum, iudices argentum, & subditi infelices æs ad portandum, & ferrum ad seruiendum facti, imò fracti tributis seruiẽtes, velut Isachar, Genes. c. 49. & quòd simul sint ex luto testa, vitæ necisque arbitrio regentis fictilis, proh dolor! quando omnes commiscentur humano semine, nõ diuersa, aut cõtraria natura: omnes licèt multa membra, vnum tamẽ corpus sumus, quia nõ natura, sed ministerio, ordine, & compositione diuersificamur: nõ igitur natura alij domini, alij serui: sed tantùm, alij superiores, alij inferiores, vt quilibet opus suũ, & ministerium adimpleat, vel imperando, vel obediendo gratiã, quam accepit, in alterutrum administrans. Et inde de diuersitate sexus inquit, D. Ambr. lib. de paradis. c. 10. apud Gratian. text. in c. fin. 33. q. 5. *Neque illud otiosum, quòd non de eadẽ terra, de qua*

Universidad Carlos III de Madrid. Biblioteca

plasmatus est Adã, sed de ipsius Adæ costa facta sit mulier, vt sciremus vnã in viro, & muliere corporis esse naturam, vnius fonte generis humani, ideò nõ duo à principio facti vir, & mulier, neque duo viri, nique duæ mulieres: sed primũ vir deinde ex eo mulier: vnam enim naturã volens hominum constituere Deus. Et apud Gratianum glossa inquit in d.cap.fin.non de pede, ne omnino videretur famula, nec de capite, ne videretur domina; sed de costa, vt collateralis videretur ab vno principio creaturæ, scilicet solius Adæ multarum, & disparium naturatum, ideſt multarum gentium: & disparium quoad sexum: eripuit facultatem: hinc disparitas
3 viri, & vxoris, patris, & filij: hinc ordo est naturalis in hominibus, vt obediant fœminæ viris, filij parentibus: quia *Nulla iustitia est* (docet D Augustinus cap.12. 33.quæst. 5.) *vt maior seruiat minori, cùm etiam gentiles fœminæ viris suis seruiant communi lege naturæ*, ait D.Hieron.cap.cum caput 15. ead.33. quæst.5.cap. hæc imago ead.cauſ.& q. *quia duo sunt in carne vna, & quasi vnius corporis vir caput est, & quasi Vicarius Dei*, ex Apostolo 1.ad Corint.11. *vir caput est mulieris*, quod etiam dicitur secundum debitum naturæ ordinem, *quo nisi rectum placere non potest*, ait Seneca epist.20.& inde vterque sua sponte amasset, quidquid rectum, & quidquid à se fieri ratio postulasset fuisset in vtroque natura integra ratio recta, sed inobedientiæ peccatum inobedientiam inuocat: abyssus abyssum inuocat, & inde ferè reperiuntur concordes. Illinc imperium in liberos ex radice iuris naturæ, vt apud Persas refert Aristoteles.8. ethicor. cap.20. apud Egiptios Diodorus Siculus lib.2. apud Hebræos Mosses Genes.21.& 42.& 43. iudicum cap.11. apud Græcos Alicarnaseus.2. apud Moscobitas Sigismundus Baro, apud Gallos Cæsar.6. de bello Gall. apud Romanos Iureconsulti omnes, & exornat Ossuald.lib.2.comm.cap.20.& Gotifred.in l.3.de his qui sunt sui, & in principio Pichard.c.satis.33 quæst.5.Impe-

Universidad Carlos III de Madrid. Biblioteca

perium esset ad perfectiorem gratiam, non ad correctionem culpæ, ad vendicandum ministerium iustæ, & naturalis obedientiæ, non pœnam inobedientiæ, quia null esset in natura incorrupta. Imperaret enim maior, & obediret minor, non defectu naturæ, sed ministerio gratiæ, imò & influxu naturæ, quia imperare, & obedire recto suo tramite, ordine, & ratione natura metipsa docet, & ex ea D. Thom. 1. part. quæst. 92. art. 1. ad 2. *Duplex est subiectio: vna seruilis, secundum quam præsidens vtitur subiecto ad sui ipsius vtilitatem, & talis subiectio introducta est post peccatum: alia œconomica, vel ciuilis secundum quam vtitur subiectis ad eorum vtilitatem, & ista fuit, etiam ante peccatum: defuisset enim bonum ordinis in humana multitudine, si quidam per alios sapientiores gubernati non fuissent.* Vnde cum hinc rectè silogizaret ciuitas Romana, inquit Callistratus l. 5. in princip. ff. de iure immunit. *Semper in ciuitate nostra senectus venerabilis fuit, namque maiores nostri penè eũdem honorem senibus, quem magistratibus tribuebant.* Inde 4
primogeniti, seu maiores natu Principes, & Duces erant. *Sederunt* (dicitur Genes. cap. 43.) *coram eo, primogenitus, iuxta primogenita sua, & minimus iuxta ætatem suam* tanquam doctrinâ, & exemplo naturaliter magis apti ad imperandum, hoc enim imperio vti præcipitur, Deuter. cap. 11. num. 19. *Docete filios vestros, vt illa meditentur.* Vnde inobedientia iuris naturæ præuaricatio est, & imperium inordinatum, dominiumque vsurpatum improba inobedientia est, hinc dictum fuit Nabuchodonosor, Dan. cap. 4. *Et cum bestijs feris erit habitatio tua: fœnum quasi bos comedes, donec scias, quod dominetur excelsus in Regno hominum,* & Adæ Genes. 3. *& comedes herbas terræ*, quia homines hominibus dominari intendunt, quasi bestijs, cum potestate absoluta vitæ, necisque, ac si traditi fuissent ad vescendum, alij alijs dominantur, ac deuorant, ideò regna, apud Danielem capit. 7. simulacro bestiarum sign-

Universidad Carlos III de Madrid. Biblioteca

cantur. *Hæ quatuor bestiæ quatuor regna sunt, quæ consurgẽt de terra. Maledictus* (etenim Genes. cap. 9.) *est Chanam seruus seruorum erit fratribus suis*, hinc D. Augustinus scribit, *rationalem factum ad imaginem suam noluit, nisi irrationalibus dominari, non hominem homini; sed hominem pecori: inde primi iusti pastores pecudum, magis quam reges hominum constituti sunt, vt etiam sic insinuaret Deus, quid postularet ordo creaturarum, & quid exigat meritum peccatorum, conditio quippè seruitutis iure intelligitur imposita peccatori: proinde nusquam scripturarum legimus seruum, antequam hoc vocabulo Noe iustus peccatum filij vindicaret: nomen itaque istud culpa meruit, non natura*, proh dolor! *Cùm sit aliquid* (vti exclamat Seneca de Clement. lib. 1. num. 196.) *quod in hominem licere commune ius animatum vetet, quia eiusdem naturæ est, cuius tu*, ideſt hominem homini dominari, & hinc insidiari, sæuire: cùm nos cognatione quadam, imò æquali natura constituerit, l. 1. 2. & 3. ff. de iustit. & iur.

CAPVT XII.

Nulli sunt homines, quibus natura dominari necesse sit, sed imperare.

SVMMARIVM.

1. *D. Ioan. de Solorzano laudatur.*
2. *Homines omnes domini rerum natura æqualiter constituti sunt.*
3. *Homo nullus natura seruus esse potest.*
4. *Author in quadam sententia non est assecla doctissimi d. Ioan. de Solorzano.*
5. *Rationes dubitandi opponuntur.*
6. *Omnes barbari cogi possunt ius naturale seruare.*

Bar-

7. *Barbari nulli prætextu barbarismi solo debellari possunt, nec in seruitutem redigi.*
8. *Nihil contra naturam, quis committit ex eo, quòd sine lege, & sine Rege viuat.*
9. *Text. in cap. dispar 23. quæst. 8. explicatur.*
10. *Barbari ex eo, quod facilè ad doctrinam reduci nõ possint, nequaquam vi dominica subÿciendi sunt.*
11. *Barbari nulli natura alieni sunt à disciplina.*
12. *Barbari quo pacto cogendi, imò reducendi ad rationem.*
13. *Barbari non sunt distinguendi contra naturalem libertatem.*
14. *Barbaris etiam tertiæ classis seruandum est ius naturale, & gentium.*
15. *Quidam existimarunt barbaros esse natura seruos, & capi posse, sicut feras.*
16. *Sententia illorum reÿcitur, & text. in l. libertas, de statu hom. expenditur, & Aristot. explicatur.*
17. *Barbari natura debent subijci sapientioribus, non dominis.*
18. *Furiosi, & infantes rerum suarum domini sunt liberi.*
19. *Sententia Angelici Doctoris, qua explicat Arist. quo adspectu est intelligenda.*
20. *Quod introducitur ad vtilitatem subditorum libertatem eorum non tollit.*
21. *Quo pacto natura barbari sunt serui, siue subditi.*
22. *Quo iure naturæ barbari debent reddere operas his, qui illos ab stultitia redemerunt.*
23. *Optimo exinde iure vindicat operas à barbaris Indis Rex noster Hispanicus, & Americus, & ab inuassoribus defendit.*

DE regula ad exceptionẽ appello, in illa cuiusque prudẽtia est, & vix peccatur, in hac labor, & error est: cuius inde, licèt crebrò non cultum vidimus corpus, vsque dum virũ accepit ex omnigena eruditione famo-

Universidad Carlos III de Madrid. Biblioteca

famosum D. Ioan. de Solorzano lib. 2. de Indiarum iure
1 cap. 7. 8. & 9. Cuius nulla vberior, & floridior scriptio, sed termino clausulæ meæ, argumento concepto, & mente, ex illo decens tumescetia deseruiat. Cape igitur signum nosce iterùm hominem dominum esse rerum omnium, quæ in aliquo communes sunt ei, aut actionibus ipsius subiectãtur: habet enim commune, cum lapidibus esse: cùm plantis vegetari: cum brutis sentire: cum Angelo intelligere: ideo dicitur paruus mundus, vt dixi supra lib. 1. cap. 10. & pluribus congestis exornat D. Ioan. de Solorzano supra cap. 7. num. 17. cum sequent. & glosographi nostri, per text. ibi in l. in pecudum. 28. ff. de vsuris, l. iustissimè. 44. ff. de ædil. edict. §. in pecudum instit. de rerum diuis. ex ratione ipsa mentis, ac liberi arbitrij naturaliter insita, in qua ad imaginem, & similitudinem Dei factus est homo, vt regat se, & dominetur piscibus maris, & volatibus cœli, vniuersæque creaturæ, Genes. cap. 1. & agnouit Philosophus lib. 2 ethic. dicens: *Nos sumus finis quodammodo omnium, & ætimur tanquam propter nos omnibus, quæ*
2 *sunt*. Cùm igitur omnes homines æqualiter natura dominos constituerit: quia nullum sine ratione fecit, indeque æqualiter liberos, princip. instit. de libertinis, quia par in parem nullum dominium habet, si nec imperium, l. ille à quo. 15. §. 4. ff. ad Trebellian. l. 3. & 4. ff. de receptis arb. nullum natura seruum posse esse fatendum est, etiam ex his, qui in tertia infima classe Barbarorum ineluduntur ab interpretibus relatis à D. Solorzano d. c. 7. à num. 27. cum sequentib. videlicet Siluestres, Syluasque habitãtes, absque vllo hominum societatis comercio nudi, sine loquella, sine vlla lege, & ferarum more aberrantes humano sanguine vescentes, & sacrificantes, nihil vsus rationis habentes, & ita obscuratam rationem, vt præter faciem à belluis discerni nequeant, imò & corporis Hipocentaurorum forma, & satyri similes illis, quos refert D. Hie-

ronymus in vita Pauli Eremitæ (dum tamen homines sint) & alia monstra humana similia illis oculos in pectore habentibus ad quæ reducenda, ad fidem se profectum fuisse testatur D. Augustinus ser. m. 37. ad fratres in erem. & ipse refert D. Solorzano lib. 2. cap 8. num 84. & Carranza cap. 17. num. 80. siue Monoculi Cynocephali, Cynomolgi Gippopodes, & alia monstra ex semine humano genita.

In his ergo omnibus, & alijs similibus opus meu est, in cæteris enim primæ, & secundæ Barbarorum classis condelector doctrina præceptoris mei veritatis plena, lactarique cupio, discedo tamen reuerenter ab illo in lib. 2. c. 9. num. 24. in illis verbis: *Ita vt non solum contra eos concedatur ius illud supremæ gubernationis, quod in Indos secundæ classis concedi tradidimus, sed etiam per vim capi, domari & in seruitutem redigi possint, imò & reluctantes occidi, si alijs mediis adhibitis ad eorum barbariem minuendam, & immanitatem cohibendam, fidemque introducendã nihil proficere valeamus, vt sic suam feritatem, & stoliditatem deponant, & bonis moribus perpoliti naturalem, & Euangelicam legem suscipere queant, iuxta ea quæ latè cum Aristotel. & alijs notauimus sup. cap. 7. ex num. 52. quæ in hac Barbarorũ genere accepta valdè probabiliter affirmari posse videntur.* 4

Hactenus ipse, cum plurium exornatione num. sequentibus, & noster hic labor, hoc opus est. Dubium enim inuoluitur non eo, quod si huiusmodi Barbari sint Antropophagi fœdissima peccata contra legem naturæ committentes, cruentisque, & immanissimis humanum sanguinem sacrificijs immolantes, ac vescentes à tali immanitate vi, & armis possint eliminari, cum nullos natura non doceat hominem homini insidiari nefas esse, l. 3. ff. de iustit. quod eruditissimè, & subtilissimè disserit noster lib. 2. de Indiar. iur, cap. 12. 13. 14. veritatemque scitissimè elegit in 15. cui in omnibus adstipulor præcipuè ex 5

6

ra-

Universidad Carlos III de Madrid. Biblioteca

ratione,quam inducit in capit.16.num.100.& num.103. nempè quia hi barbari, ita consuetudine peccandi contra naturam nutriti impetu magis,quam rationis iudicio feruntur,seueritate quadam salutari compellendi sunt legem seruare scriptam in cordibus suis:rationis enim forma aliquandò imprimitur contra nollentes in sensu appetitiuo,vt dixit Vlpian. in l.1.de iustit. *Bonos non solum metu penarum,verum etiam præmiorum quoque exhortatione efficere cupientes*,& D.Gregor.in specie nostra libro 3. epist.26.ad Ianuar.Episcopum,ex qua est text.in capit.4. 23.quæst.6.*Iam verò si rusticus tantæ perfidiæ* (inquit) *& obstinationis fuerit inuentus, vt ad Deum minimè venire consentiat,tanto pensionis onere grauandus est,vt ipsa exactionis suæ pœna compellatur ad rectitudinem festinare*, vbi Gratianus argumentis cõtrarijs respondens,ait *Sed quia humanæ naturæ est,& ea quæ in desuetudinem ducuntur abhorrere,& consueta magna custodia diligere, flagellis tribulationum mali sunt cohibendi à malo,& prouocandi ad bonum,vt dùm timore pœnæ malum in desuetudinem ductiur, abhorreatur: bonum verò ex consuetudine dulcescat, vnde Augustin.Psalm.127.cùm per timorem gehennæ continet se homo à peccato,fit consuetudo iustitiæ,& incipit,quod durum erat,amari*.Iterum Diuus Augustinus epist.48.ad Vincentium, in capit.2.23.quæst.6.cuius verba libenter rescribo,quia remouent omnes dubitandi nubeculas, absterso que cœlo radiat lux. *Vides vt opinor* (inquit) *non esse considerandùm, quod quisque cogitur,sed quale sit illud quò cogitur, vtrùm bonum, an malum: non quod quisque bonus possit esse inuitus,sed timendo,quod non vult pati,vel relinquit impedientem animositatem, vel ignoratam compellitur cognoscere veritatem,vt timens,vel respuat falsum, de quo contendebat,vel quærat verum,quod nesciebat,& volens iam teneat quod nolebat*,& infra,*mea primitus sententia erat neminem ad vnitatem Christi esse cogendum, verbo esse agendum dis-*

disputatione pugnandum, ratione vincendum nè fictos Catholicos haberemus, quos apertos hæreticos noueramus: sed hæc opinio mea, non contradicentium verbis, sed demonstrantium superabatur exemplis: nam primo mihi opponebatur ciuitas mea, (quid nunc? si opponitur alter Orbis tota America) *quæ cum tota esset in partem Donati ad vnitatem Catholicam timore legum Imperialium conuersa est, quam nunc videmus, ita huius vestræ animositatis pernitiem detestari, vt in ea numquam fuisse credatur, &c.* Dubium igitur est ex eo, quòd (cum Noster doceat, in dict. capit. 9. à num. 13. Indos primæ, & secundæ classis (ad tres enim omnes reducit) prætextu sui barbarismi licitè debellari non posse, & quod si introducatur dominatio) non sit dominica, quæ Indos seruituti subijciat, cùm sint natura liberi, sed politica, & ciuilis, quæ vtilitatem respiciat subditorum ad meliorem, rationalemque vitæ, & religionis veræ institutionem dirigendo, vt ipse eruditè asserit num. 21.) Indi tertiæ classis ob solam barbariem ingentem, per vim capi, domari, & in seruitutem redigi possint, debellarique, & occidi. Si intelligimus barbariem, hanc deterrimam, quia fœdissima, & immanissima contra legem naturæ crimina committunt, etiam Indos secundæ classis hæc perpetrari testatur. Si differentia est, quia per campos ferarum more, sine Rege, & sine lege eos oberrare videmus, cùm dicat Apostolus ad Roman. 2. *Quicumque enim sine lege peccauerunt, sine lege peribunt, & quicumque in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur, non enim auditores legis iusti, sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur, cùm enim gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt faciunt: eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex: qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum*: nihil ergo contra naturam egrediuntur ex eo solo, quod sine lege sint, &

Universidad Carlos III de Madrid. Biblioteca

sine Rege : habent enim opus legis scriptum in cordibus suis , etsi obscuratum est insipiens cor eorum non deficit illis Rector testimonium reddente illis conscientia ipsorum, quoniam Deus *in vnam quamque gentem praposuit Rectorem*, Eccles. capit. 17. rationem nempè scriptam in cordibus suis. *Tu* (igitur scriptum est) *quis es qui alienum iudicas seruum, suo Domino stat , aut cadit, si ergo viuimus, siue morimur Domini sumus, in hoc enim Christus mortuus est, & resurrexit, vt viuorum, & mortuorum dominetur.*

9 Neque obstat text. in capit. dispar. 23. quæst. 8. vbi dicitur, *Hi verò vbique seruire parati sunt*, scilicet Iudæi, quia sine Rege sunt, quoniam ibi seruire intelligitur subditos esse sublimioribus potestatibus, cap. omnis anima. *Ideò enim tributa præstatis, quia hæc est probatio subiectionis*, de censib. iuncto text. in cap. in Archiepiscopatu, de raptoribus.

10 Si autem, quia huiusmodi barbari sunt, de quibus inquit Albert. Magnus. 7. ethic. tract. 1. cap. 1. quòd nec lege, nec ciuitate, nec alicuius disciplinæ ordine disponuntur ad virtutem. Non equidem ob hanc causam illos debellari, occidi, aut in seruitutem redigi licere videtur: tum quia aut prouenit ex eo, quòd omninò nempè natura carent ratione, & hoc si ex semine sunt Adæ fateri non licèt, vt probaui supra lib. 2. cap. 4. si autem non sunt ex propagine humana, nulla prorsus inuoluimur quæstione. *Sed cibaria, & virga, & onus asino*, (ait Ecclesiasticus cap. 33.) aut quia contraria rationi consuetudine ita nutriti sunt, vt nihil aliud sciant, nisi peccare; quoniam alienati sunt à vulua, & errauerunt ab vtero incessanter, & quoniam, vt dixit Sapiens Sapient. capit. 10. *Sapientiam enim prætereuntes, non tantum in hoc lapsi sunt, vt ignorarent bona: sed & insipientiæ suæ reliquerunt hominibus memoriam, vt in his, quæ peccauerunt, nec latere potuissent.* Sed quia natura

tura nõ sunt à ratiocinatione remoti, inexcussabiles sunt, sicut barbari primæ, & secundæ classis, vti docet Apostolus cap. 1. ad Roman. *Reuelatur enim ira Dei de cœlo super omnem impietatem, & iniustitiam hominum eorum, qui veritaiem Dei in iniustitia detinẽt, quia quod notum est Dei, manifestum est in illis, Deus enim illis manifestauit, inuisibilia enim ipsius à creatura mundi, per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus, & diuinitas, ita vt sint inexcussabiles.* Et exinde etiam, neque na- 11
tura alieni sunt à disciplina, & institutione, vt ipse docet Apostolus, sine distinctione ibidem, *Vt aliquem fructum habeam in vobis, sicut & in cæteris gentibus, Græcis, ac barbaris sapientibus, & insipientibus debitor sum*, itaque Diuus Augustinus d. serm. 37. ad fratres in eremo, dicit se profectum fuisse ad docendum veritatem legis naturæ, & Euãgelij monstra illa humana oculos in pectore habentia: & ipse noster testatur, alienos natura non esse à disciplina: siquidem ait, quod si non volũtariè saltem coactione perpoliti suam feritatem, & stoliditatem deponant, de quibus rectè intelligit, cum D. August. in cap. displicet. 23. quæst. 4. & in cap. 1. 13. quæst. 6. lib. 2. de Indiar. iur. capit. 16. à num. 95. & c. 18. per totum, sacrum præceptum apud Lucam cap. 14. *Exi in vias, & sæpes, & compelle intrare, vt impleatur domus mea.* Hi enim barbari, & inculti in syluis, & horridis locis habitantes, more ferino vagãtes, absque aliqua humanæ societatis cultura, cogendi sunt intrare in triclinium fidei, aut saltem rationis propriæ, & natura- 12
lis habitationis humanæ, vt eruditè ex multis differit noster, cui consentio, vbi proximè, & ex illo capit. 26. Isaiæ, *Domine in angustia requisierunt te, & in tribulatione murmuris doctrinæ tuæ eis*, & ex Ecclesiastici. cap. 33. *in operæ constitue eum: sic enim conuenit illum, quòd si non obaudierit eurua illum compedibus, & non amplifices super omnem carnem, verum sine iudicio nil facias graue*, cum intelligentia

Universidad Carlos III de Madrid. Biblioteca

D. Auguſt. in cap. quid faciet. 25. 23. quæſt. 4. ibi: *Nam & pœnitici nolunt ligari, & lethargici nolunt excitari, ſed perſeuerat diligentia charitatis, phreneticum caſtigare, lethargicum ſtimulare, ambos amare: ambo offenduntur, ſed ambo diliguntur, ambo moleſtati quandiu agri ſunt indignantur, ſed ambo ſanati gratulantur*, maximè cùm dixerit Sophocles *Amentia ſoror videtur eſſe malitiæ*, & cum ratiocinatione Ciceronis lib. 1. offic. ibi: *Nam cum ſint duo*
1 *genera decertãdi: vnum per diſceptationem: alterum per vim: cùmque illud proprium ſit hominis, hoc belluarum, confugiendum eſt ad poſterius, ſi vti non liceat ſuperiore*, ſed charitatis mixtione, vt inquit D. Auguſt. epiſt. 48. *ſi terrerentur, & non docerentur, improba quaſi dominatio videretur*, & rurſus *ſi docerentur, & nõ terrerẽtur vetuſtate conſuetudinis obdurarẽtur*. Vnde ſcitè dicebant Stoici, omnes ſtultos inſanire, neque enim prudẽtes eſſe, ſed per æqualẽ ſtultitiæ inſaniã omnia facere, vt refert Laert. & Horat. 2. Satyr. 3.

Quem mala ſtultitia, & quemcumque inſcitia veri,
Cæcum agit: inſanum hunc Chryſippi porticus, & grex,
Autumat hæc populos, hæc magnos formula Reges,
Excepto ſapiente tenet.

Eruditione ſua ingerit Lipſius lib. 2, manud. Stoicor. diſſert. 20. Itaque ſi diſceptatione rationis lumẽ, quod ſuper eos eſt, non videant: coactione aperiantur oculi eorum, ſic enim condecet illos, vt ſcitè reſoluit ex vberrimo, & accerrimo Doctorum omniũ examine, Noſter in c. 15. &
13 18. lib. 2. de Ind. iur. Sed ſi hoc pacto compellẽdi ſunt omnes barbari, vt ignoratam cognoſcant veritatem, nullum ad hoc debet conſtitui diſcrimen inter primæ, ſecundæ, & tertiæ barbarorum claſſes, ſiquidem vnicus finis, ratio nempè, veritas, & fides, & vniforme medium, quo dirigendi ſunt, ſcilicet diſceptatio ratiocinationis, quæ ſi nõ profit: vi, & armis ſuccurrẽdum eſt rationi humanæ, ita praua cõſuetudine inclinatæ, vt niſi coactione ſubleuari poſsit.

De-

Universidad Carlos III de Madrid. Biblioteca

Deinde cùm nullũ aliud discrimen inferatur inter barbaros secũdæ,& tertiæ classis,nisi maior stoliditas,& mẽtis hebetudo,ita vt hominũ appellatione indigni videantur,quia omninò ferinam agunt,& syluestrem vitam. Et ipse asserat lib.2.c.8.n.85. prædictã feritatem,& hebetudinem non esse causam sufficientem ad eos debellãdos, affligendos,onerandos,& spoliandos,cùm potius ob eam rationẽ,vt hebetioribus magis miserendũ,quàm irascendum sit,magisque consulendum,& subueniendum,quàm persequendum,& in num.15. quod si ob solam syluestris vitæ consuetudinem,& ingenij feritatem,ruditatem,siue barbariem liceret Indis bellum inferre,& eos in seruitutem redigere,dominioque,& imperio suarum rerum priuare,idem quoque in reliquis ferè vniuersi Orbis nationibus licuisse prouandum est,vt ex pluribus ibidem prosequitur,& exornatur ex eo,quòd ferè nullus ab stultitiæ familia penitus emancipatus sit:quia omnis homo mendax,& etiam dixit Horatius lib.2.Satir.3.

..... *Nunc accipe quarè,*
Desipiant omnes æquè, ac tu.qui tibi nomen
In sano posuere velut siluis,vbi passim
Palantes error certo de tramite pellit,
Ille sinistrosum,hic dextrosum abit vnus vtrique
Error, sed varijs illudit partibus,hoc te,
Credo modo in sanum nihilo,vt sapientior ille,
Qui te deridet caudam trahat.

Et sic Stoicorum sententiâ in stultorum numerum referuntur etiam Zeno,Cleãtes,& Chrysippus,stultus enim ab ignoratione quaque tenetur,Persius Satyr.5.ait.

..... *Nullo thure litabis.*
Hereat in stultis breuis vt semuntia recti.

Et cùm barbari tertiæ classis sint verè homines,eis etiã ius naturale,& gentium seruandum est,quo inspecto (vt ipse docet dict. capit.8. num.9.) omnes homines æque libe-

liberi sunt, & rerum, ac prouinciarum suarum dominium nacti naturali possessione, l. ex hoc iure, ff. de iustit. l. libertas. 4. ff. de statu hominum, l. 1. ff. de acquir. possessione, & ex illo, quod omni homini dictum est, *Quidquid calcauerit pes tuus, tuum erit*, Genes. cap. 11. & 1. *Vt præsit piscibus, &c.* & illud Psalm. 8. *omnia subiecisti sub pedibus eius, oues, & boues vniuersas, insuper, & pecora campi*, cum alijs adductis à Dom. Soto lib. 4. de iustit. art. 2. quæst. 2. & Menchaca lib. 1. quæst. illustr. capit. 10. num. 4. & 5. igitur illis insidiari, sicut & cæteris nefas à natura est, l. 3. ff. de iustit. & iur. alioquin meritò dicere possunt, siue Hispanis, siue Græcis, siue Romanis, quod amicis suis Iob. *Ergo vos estis soli homines, & vobiscum moritur sapientia, & mihi est cor, sicut & vobis, neque inferior vestri sum*, cap. 15.

15 Si verò præcipue hi barbari tertiæ claisis debellari, & in seruitutem redigi possunt ex eo, quia nihil humanum præter faciem indicant, vt ex multis noster exornat in d. cap. 7. per totum, & ideò ferarum iure magis, quàm hominum censiti capi possint, primoque occupanti fiant, vt voluit Cælius Calcagninus in paraph. ad Pol. Arist. cap. 32. vbi ait, venatoriam bellicæ artis partem esse, qua non modo aduersus feras pugnemus, sed in eos etiam homines arma vertamus, qui ad parendum nati parere detrectant, & per contumatiam mores non patiuntur: huiusmodi bellum iustum est, vt potè quod auspicijs naturæ geritur, ex Platone Dialog. 3. de legibus. Aristot. lib. 1. Polit. cap. 1. 3. 4. & 5. & lib. 7. cap. 14. & Cicerone paradox. 5. asserentibus huiusmodi naturâ esse seruos, & iure ferarum iure posse venari, capi, & in seruitutem reduci, exornat eruditio suo more noster, d. cap. 7. à num. 52.

16 Sed cum seruitus sit constitutio iuris gentium qua quis dominio alieno contra naturam subijcitur, l. libertas de stat. hom. minimè potest esse naturâ, quia omnes sine missione nascimur, vt scite dixit Seneca epist. 57. cùm iure naturæ om-

Universidad Carlos III de Madrid. Biblioteca

omnes liberi nascerentur, l. 4. de iustit. & iur. & in principio inst. de libertinis: sequitur, quòd nullus homo possit esse naturâ seruus, & ex ratione Iureconsulti Gaij in l. in pecudum in fin. ff. de vsuris.

Neque iurauimus in verba Aristotelis, cũ ethnicus fuisset, & in inferno sepultus, siue ex corde, siue assentatione Alexandro Magno dixisset, huiusmodi barbaros esse naturâ seruos: licèt veriori sensu, & suo quidem admitti debet, vt rectè notat noster d. cap. 8. à num. 117. nempè quòd barbari ita rudes naturâ debent subijci sapientioribus, 17
non vt ob hanc causam vere serui sint, & libertate, ac dominio rerum suarum spolientur: alioqui, idem de infantibus, & pupillis, & multo magis de furiosis sine intermissione affirmari deberet. Quos tamen nemo ambigit vere 18
liberos, & bonorum suorum dominos esse, vt ex illo Apostoli ad Galatas cap. 4. *Quanto tempore hæres paruulus est, nihil differt à seruo, cum sit dominus omnium, sed sub tutoribus, & curatoribus est*, & Cicer. 3. Thascul. vbi de furioso inquit, *Qui ita sit affectus, eum dominum esse rerum suarum vetant duodecim tabulæ*, ideſt dispẽsatorem esse, lege enim cauetur, *Si furiosus esse incipit agnatorum gentiliumque in eo pecuniaque eius potestas esto.* Ideſt potestas, quæ datur in capite libero, qui porpter ætatem, vel furorem sc ipsum defendere nequit, principio, instit. de tutelis, iũcta l. 20. ff. de statu hom. & huiusmodi barbari pueri sunt appellandi, qui quotidiè viuere incipiunt, cum pluſquam infantes, non assequantur, vt adstruit noster lib. 2. cap. 9. num. 53. ex Platone in Thimæo, Lucret. lib. 1. de rerum natur. Seneca epist. 4. & Strabone lib. 1. Geograph. itaque D. Thom. 1. part. quæst. 96. art. 3. & 4. & 2. 2. quæst. 57. art. 3. ad 2. explicans Philosophum distinguit dicens, *Quòd hunc hominem esse seruum absolute considerando magis, quam alium, non habet rationem naturalem, sed solum secundum aliquam vtilitatem consequentem, in quantum vtile est huic, quod regatur à*

sa-

ſapientiori, illi quod hoc iubetur, vt dicitur in 1.*Politic.& ideò ſeruitus pertinens ad ius gentium eſt naturalis ſecundo modo, ſed non primo modo.*

19 Neque hic Angelicus Doctor loquitur de ſeruitute illa iuriſgentium, qua quis dominio alieno contra naturam ſubijcitur, de qua Iureconſultus in l.4.ff de iuſtit,& in l. libertas, ff.de ſtatu homin.cum ſim.hæc enim, vt docet ipſe d.1.part.quæſt.92.art.1.ad 2.eſt introducta, vt dominus ad ſui ipſius vtilitatem ſubiecto vtatur,& talis ſubiectio eſt poſt peccatum, vt dixi ſupra cap. proximo. Sed loquitur de ſeruitute altera, quæ etiam pertinet ad ius gentium,& eſt naturalis,non primo modo (ſcilicet ordine illo Hierarchiæ naturæ perfectæ,de quo ſupra capite anteced,) ſed ſecundo modo, quo introducta ſunt regna, vti infra diſſeram,& quo omnis anima ſubdita eſſe debet ſublimioribus poteſtatibus, cap.omnis anima de cenſibus, & ideò ibi inquit Angelicus, *In quantum vtile eſt, huic quod regatur à ſapientiori.* Igitur explicat Philoſophum,non de ſeruitute,quæ vtilis eſt domino,ſed de ſeruitutæ, quæ eſt vtilis ſeruo,& hæc (vt ipſe aſſerit 2.ſent. diſt.44.quæſt.1.art.3.ad.1.& quæſt.2.art.2. ad.1.) quæ eſt
20 ad vtilitatem ſubditorum, libertatem ſubditorum non tollit,nec vllum præiuditium affert libertati,dum ſubditi ad bonum præpoſiti non ordinantur,ſed è conuerſo regimen præpoſiti ad bonum ſubditorum:vnde non incongruè ſe eorum ſeruos appellant D.Auguſt.lib.4.de ciuit. Dei cap.3.& D.Gregor.Naziancen.in Apolog.& ex his Noſter d.cap.9.num.22.& 23.in qua intelligentia barbaros ſecundæ claſsis tantum includit:ſed ego etiam cæteros tertiæ claſsis,ita intelligi natura eſſe ſeruos,ſiue ſubditos oportere contendo, natura ſcilicet corrupta, qua illi barbari,pluſquam alij indigere magiſterio,& regimine videtur,vnde exorta meritiſsimè ſunt illa Stoicorum axiomata,ſolum ſapiẽtem liberum eſſe,& regem,omnes autem

autem stultos seruos esse, vt Diogenes in Cenone, & Cicer. in Paradox. 5. *Quid est enim libertas?* (inquit) *Potestas viuendi, vt velis: quis igitur viuit, vt vult, nisi qui recta sequitur? qui gaudet officio? cui viuendi via considerata, atque prouisa est? qui legibus non propter metum paret? qui nihil dicit, nihil facit, nihil cogitat denique, nisi libenter, ac liberè?* & Diuus Ambrosius epistol. 7. adstruit, & Diuus Augustinus lib. 4. de ciuitate Dei cap. 3. ex 2. epistol. D. Petri cap. 2. *Bonus etiamsi seruiat* (inquit) *liber est: malus, etiamsi regnet, seruus est, nec vnius hominis, sed quod grauius est, tot dominorum, quot vitiorum, de quibus cùm ageret Scriptura diuina: à quo enim quis, inquit, deuictus est, huic & seruus addictus est*: cui adstipulatur celebre Diogenis Cynici dicterium, qui cùm vænum à piratis expositus esset, interrogatur, *Et quid scire profiteretur?* ego ne? *hominibus imperare*, & mox cum prætereuntem xeniadem vidisset ore, ac vultu ingenuo, *Huic, inquit, me vende, nam hic domino opus habet*: disserte exornat Lipsius lib. 3. ad Stoicam Philosoph. dissert. 12. & 13. Hoc igitur adspectu stulti, ac 21
barbari sunt natura serui, quia incessanter alienati sunt à vulua, & errauerunt ab vtero, & tunc serui sunt, non primo modo, sed secundo modo, scilicet, non nobili, & perfecto ordine Hierarchiæ, primo quidem naturæ, quando in honore creatus est homo, sed cùm non intellexisset, comparatus est iumentis, & similis factus est illis, & hoc secundo modo homines imperioso ductore opus habent, qui illos ab stultitia redimens, redimat à 22
seruitute, & cùm refrenent priùs libidines, vt inquit Cicer. in Paradox. 5. spernant voluptates, iracundiam teneant, coerceant auaritiam, cæteras animi labes repellant, tùm incipiant alijs imperare, cùm ipsi improuisimis dominis dedecori, ac turpitudini parere desierint, & talis redemptor, potiùs dici poterit patronus,

Universidad Carlos III de Madrid. Biblioteca

quàm dominus, nec immeritò libertus operas illi natura debebit, & nihilominus obsequi verecundiæ tenebitur fortiori argumento, quàm in liberto, de quo loquitur Vlpian. in l. 26. §. 12. ff. de condict. indeb. & Papinian. in l. 41. ff. de operis libert. naturâ: quia ad remunerandum patronis, qui eos meliores eloquentia, & diligentia, ac dominos pasionum, rationisque compotes, veritatemque sectantes, reddiderunt, naturaliter obligati sunt, l. Aquilius, ff. de donat. iuncta l. sed etsi, §. consuluit de petit. hæred.

23 Nil inde igitur mirum, quòd licèt compelli non possint huiusmodi barbari ad præstandas operas, quas non promiserunt, argument. l. 31. ff. de operis liber. nec onerandæ libertatis causa, seu ab stultitia redemptionis eis imponi, argument. l. 32. & 36. ff. eod. & l. 1. ff. quarum rerum actio non detur, tamen natura, & verecundia pro tanto beneficio accepto tenentur operas præstare veluti Indi omnes barbari Occidentales Hispanico, & Americo nostro Regi Philippo, qui eos à fœdissima seruitute, siue stultitia redemit, & meliores vsu rationis, eloquentia, ac ingenti diligentia reddidit, quando honeste, & sine periculo vitæ præstare iuuentur, & secundum differentiam ingenij, naturæ, doctrinæ, & institutionis Indorum huiusmodi barbarorum, argument. l. eius. 16. in principio, l. 38. ff. de operis libert. l. 12. ff. de legatis 3. l. 31. ff. de solution. Et hoc ab alijs inuasoribus veluti Batauis, potest defendi interdicto, quod fructuario proponitur, scilicet vnde vi, l. Aquilius in fine, ff. de donat. iuncta l. 3. §. vnde vi, ff. de vi, & vi armata.

Universidad Carlos III de Madrid. Biblioteca

CAPVT XIII.

Ratio dominij in seruos non est eadem, ac in cætera omnia homini subiecta, quia in hæc à natura, in illos à peccato exuberat.

SVMMARIVM.

1. *Seruitutis origo.*
2. *Ex qua ratione asperitas dominorum in seruos temperata est.*
3. *Ratio quare innocens partus subijciatur seruituti, & reijcitur Ossualdi solutio.*
4. *Quarè acquisitio dominij in seruos contra libertatem naturalem sit iusta.*

HOmo peccator, non vtique frustra dicuntur (inquit D. Augustinus in cap. duo ista 35. 23. quæst. 4.) quia peccator est, corripe: quia homo est, miserere: nec omnino liberabis hominem, nisi eum persecutus fueris peccatorem, huic officio nominis inuigilet disciplina, sicut cuique regenti apta est, & accommodata, nõ solum Episcopo regenti plebem suam, sed etiam pauperi regenti familiam suam: marito regenti coniugem suam: patri regenti prolem suam: iudici regenti Prouinciã suam, Regi regenti gentem suam. * Flagellũ non timuit natura, quæ nescibat peccatum, non præpeditur compedibus libera: necessitas ratiocinauit manicas. Liberos ostendit lex naturæ: sed captiuos introduxit, & seruos lex peccati. *Quis enim indicauit tibi, quod nudus esses, nisi quod ex ligno, de quo præceperã tibi nè comederes, comedisti?* Genes. c. 3. Quis nobis indicauit necessitates humanas? quis inde bella, captiuitates, & seruitutes? *Nisi quod ex ligno, de quo præceperam tibi nè comederes, comedisti?* 1

Universidad Carlos III de Madrid. Biblioteca

Quis ita potentem, vt ius habeat occidendi, quos voluerit, & seruandi, ac mancipandi, quos maluerit, quosque natura, potentia, gratia, & imperio pares Deus creauerat, & æquales: impares redigendi, ac inæquales, *cùm vno communi nomine omnes homines appellarentur, nec esset nota manumissio, cum seruitus esset incognita*, l. 5. de statu homin. quis permutationem seruitutis, vitæ, ac mortis electionem (si Deus solus vitæ, & mortis dominus est) nisi quod ex ligno, de quo præceperat tibi, nè comederes, comedisti: inde merito, imò pœnâ: *Seruitus est constitutio iurisgentium, qua quis dominio alieno contra naturam subijcitur*, quia (Psalm. 48.) *cum in honore esset homo, non intellexit, comparatus est iumentis, & similis factus est illis.* Vnde vestitur tunicis pelliceis in similitudinem bestiæ, & veluti iumentum alteri subijcitur homini: *Maledictus enim est Chanan seruus seruorum erit fratribus suis*, Genes. capit. 9. quia (vt docet Diuus Hieronymus capit. 27. 23. quæst. 4.) *Non solum homines ministri sunt, & vltores iræ Dei in his, qui malum operantur, vnde non sine causa gladium portant sed etiam contrariæ fortitudines, quæ appellantur furor, & ira Dei*: & rursus capit. 29. cad. caus. & quæst. *qui malos percutit in eo, quod mali sunt: habet vasa interfectionis, vt occidat pessimos minister est domini*, vt dicitur ex Isai. capit. 10. text. in cap. 49. 23. quæst. 5. & per totam causam, *virga furoris mei Assur, ipse autem non cognouit*, hinc (quia omnis potestas à Deo est, siue imperata, siue permissa) electio occidendi, aut seruandi Genes. cap. 34. dicitur, *depopulati sunt vrbem in vltionem stupri, &c. paruulos quoque eorum, & vxores duxerunt captiuas. Præuaricatio enim legis iram operatur*, indequè Genes. cap. 30. *fornicata est Thamar nurus tua, & videtur vterus illius intumescere, dixitque Iudas: Producite eam, vt com-*

bu-

baratur, quæ cùm duceretur ad pœnam, &c. ex prævaricatione enim, non ex creatione introducta sunt bella, captiuitates, seruitutes, quæ sunt naturali iuri contrariæ. Si igitur ex seruitute, & captiuitate dominium: ergo & dominium, quod super seruos habemus naturali iuri contrarium est: quia licèt seruitus, & dominium peccatum non sint, introducta tamen sunt per peccatum à langore ipso, & infirmitate corruptionis naturæ: & sicuti langor, & infirmitas saluti contraria sunt, ita & passiones, & dolores, furor, & ignorantia, atque obliuio, non sunt peccata; sunt tamen effectus, imò pœnæ peccati, vt notat Gratianus noster in cap. 15. quæst. 1. vnde ex iure gentium, hoc est, ex ratiocinatione gentium, vrgente humana necessitate, serui in potestate dominorum sunt: *nam apud omnes peræquè gentes animaduertere possumus dominis in seruos vitæ, necisque potestatem fuisse, & quodcumque per seruum adquiri, id domino acquiri*, l. 1. ff. de his qui sunt sui, §. 2. inst. eodem, vti etiam apud Hebræos, *Ecce ancilla tua in manu tua est, vtere ea, vt libet: affligente igitur eam Sarai fugam iniit*, Genes. capit. 16. Non enim suaui dispositione naturæ, sed violenter necessitate ex peccato seruituti addicti sunt, *Vt deuoluat* (dicitur Genes. cap. 42. vers. 18.) *in nos calumniam, & violenter subijciat seruituti, & nos, & asinos nostros*, læsa enim natura furor est, hinc *totidem hostes, quot serui*, ait ex Aristotele 2. Politic. cap. 6. Senec. 3. de benefic. & 6. epist. 47. & Gotifredus in §. 2. de his qui sunt sui, & Quintus Curtius: *quos viceris* (inquit) *amicos tibi esse caue, credas inter dominum & seruum, nulla amicitia est: etiam in pace, belli tamen iura seruantur*: hinc ab æquitate naturali asperitatem dominorum temperari Imperator rescripsit Antoninus l. 2. ff. de his qui

sunt

2 sunt sui, §. 3. inst. eod. Macrob. lib. 1. Satur. cap. 7. *Quid enim est* (inquit Seneca) *eques Romanus, aut libertinus, aut seruus? nomina ex ambitione, aut ex iniuria nata.* Inde rectè docet Consultus, ius potestatis moribus esse receptum, quia *Mos est longa consuetudo: de moribus tantummodò tracta*, l. patre 8. ff. de his qui sunt sui, cap. 4. distinct. 1. l. 4. de statu homin. hinc dicitur, etiam constitutio iuris gentium. Vtcùmque enim cum natura non pugnet iusto bello captum in seruitutem redigi: quis tamen iustè mancipabit, illius filios liberos nascituros? cùm naturalis ratio dictet filium non portare iniquitatem patris, nec patrem filij, quod ænigma non rectè dissoluit Ossualdus lib. 1. comm. Don. cap. 12. litter. F. ex l.
3 6. de acquirend. rerum domin. *Nata ex nostris rebus nostra esse.* Quoniam absurdum videbatur hominem in fructu esse, cùm omnes fructus rerum natura gratia hominis comparauit, §. in pecudum. 37. instit. de rerum diuis. l. in pecudum. 28. ff. de vsuris, l. ancillarum, de pet. hæred. l. qui vas. §. ex furtiuis, ff. de furtis. Inde mercis appellatione homines non contineri Mela ait in l. 207. ff. de verborum significatione, & ob eam rem mangones, non mercatores, sed venaliciarios appellari: principatum enim, rerum omnium natura tribuit homini, cuius causa omnia genuisse scitur: vnde Paulus Iure consultus in l. 44. de ædil. edicto, iustissimè, inquit, ædiles doluerunt (scilicet commoti ærumnijs hominum decreuerunt) ne hominem ei rei, quæ minoris esset, accedere, nequa fraus, aut edicto, aut iuri ciuili fieret, vt ait Pedius, propter dignitatem hominum: alioquin, eandem rationem fuisse, & in cæteris rebus: quia homo dignissimum est animal, sanctius animal vocat Ouid. 1. Metamorphos. Plin. lib. 7. & ex Genes. 3. quo igitur iure, partus, qui nascitur, vt præsit, vt dominetur

pro

pro ſeruitute mutuauit imperium? qui nec bellum intulerat, nec â Patre ſuo ſpiritum, nec acceperat vitam, niſi iure, & lege peccati, Vazquez 2. illuſtr. contr. 82. num. 13. ad Roman. cap. 5. cap. placuit. 152. de conſec. diſt. 4. ius enim, & lex peccati pœna eſt mors, ſeruitus, omnes denique noſtri langores, & ærumnæ; non neceſsitate naturæ, ſed peccati merito, vt in Concilio Meleuitano (cui interfuit Diuus Auguſtinus, & Anſelmus, Romanæ Eccleſiæ legatus) definitum extat: quoniam paruuli, tanquam pars viſcerum matrum, etſi propriæ actionis peccatum nullum habuerint, originalis tamen peccatum, damnationemque carnali conceptione traxerunt; cum intelligentia Diui Auguſtini, quod & poſt baptiſmum, ſi non peccatum, adhuc tamen remanet corruptio, remanet mors temporalis, & langores, ac ærumnæ temporales, ſtipendia quidem peccati, bella, captiuitates, ſeruitutes. Naſcimur enim ſerui, & per baptiſmum libertini efficimur, & inde operas debemus Patrono, qui nos manumiſit, & in agone adhuc ſumus. *Tunc enim quoad viuunt, imaginem, non ſtatum ingenuitatis obtinent*, argument. l. vnic. C. ad legem viſelliam, l. 2. C. ſi ſeruus, vel liber. ad decurionatum aſpirauerit. Iuſta eſt pœna ſeruitutis, & inde dominium ex ea acquiſitum, iuſtum eſt, iuſta quoque ſeruitus: quia ratio, & radix eius, ac dominij, & ſubiectionis ex ea: licèt non natura, eſt tamen lex illa, quâ præceptum fuit. *De ligno autem ſcientiæ boni, & mali, ne comedas; in quocumque enim die comederis, ex eo morte morieris*, Geneſ. capit. 2. & 3. Terribilitas mortis à peccato eſt, ſicut peccatum à libera cauſa dixit Seneca epiſtol. 95. *Aduerſus tam potentem explicitumque latè furorem operoſior Philoſophia facta eſt* (ſcilicet ratiocinatio, qua neceſsitatibus humanis

4

nis ſubuenitur) *& tantum ſibi virium ſumpſit, quantum his aduerſus, quæ parabatur, acceſſerat; expeditum erat obiurgare indulgentes, & petentens delicatiorem cibum: non erat animus ad frugalitatem magna vi reducendus, à quo paululum diſceſſerat.*

Nunc manibus rapidis opus eſt, nunc arte magiſtra.

Hinc bella etenim orta ſunt, captiuitates ſequutæ, & ſeruitutes, quæ ſunt naturali iuri contrariæ: hinc regna condita, dominia diſtincta, agris termini poſiti, ædificia collata: hinc emptiones, venditiones, locationes, & cætera iuris gentium contracta, & cluilis artis magiſtræ introducta ſunt opificia, l. 5. iuncta l. 1. ff. de iuſtit. & iur.

LI.

LIBER QVARTVS.

De rationis ciuili imperio.

CAPVT I.

Ratio iuris ciuilis, & imperij à sociabili natura humana exurgit, & societati ciuili inest.

SVMMARIVM.

1. *Argumentum probatur ex Philosopho, & ex D. Thom.*
2. *Domesticæ rei partes tres sunt.*
3. *Plinij dicterium illustratur.*
4. *Prima societas, idest coniugalis, origo est omnis Principatus.*
5. *Quarè patriæ parere sit præceptum naturale, secundum text. in l. 3. ff. de iustit. & iure.*

RAtionis iure, & imperio societas generatur humana, quia * Homo est animal sociale (vt inquit Philosophus lib. 1. Polit. capit. 2.) magis, quàm omnis apes, magis quàm omne gregarium animal: omnis enim ciuitas naturâ est, siquidem, & primæ societates: nam hęc illarum finis est, natura vero finis est: ciuitatẽ esse ex his, quæ naturâ sunt, & quòd homo naturâ ciuile est animal, & qui absque ciuitate est, propter naturã, non propter fortunã, aut ne quã est, aut potior quã homo, vt ab Homero, per cõtumeliam increpatur, sine tribu, sine iure, sine domo, & *rursus*, qui autẽ in cõmuni societate nequit esse, qui nullius indiget, propter sufficientiam, nulla is ciuitatis pars est, quare, aut

1

2

Universidad Carlos III de Madrid. Biblioteca

bestia, aut Deus: naturâ igitur omnibus ad huiusmodi societatem est appetitus, exornat D. Thomas in 1. Ethic. c. 1. dicens: * Sciendum est, quod quia homo naturaliter est animal sociale, vtpotè qui indiget ad suam vitam multis, quæ sibi ipse solus præparare non potest, consequens est, quòd homo naturaliter sit pars alicuius multitudinis, per quam præstetur sibi auxilium ad benè viuendum, quo quidem auxilio indiget ad duo: primò, ad ea quæ sunt vitæ huius temporalis necessaria: secundò ad vitæ sufficientiam perfectam, scilicet vt homo nõ solum viuat, sed & benè viuat, & sic homini auxiliatur multitudo ciuilis, cuius ipse est pars, non solum quantum ad corporalia, sed etiam quantum ad moralia, &c. inde dictum est (Genes. cap. 2.) Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adiutorium simile sibi: * & cognouit Aristoteles 1. Politic. c. 1. dicens: * Primum igitur necesse est conbinare illos, qui non possunt esse, nisi simul ceu marem, & fœminam generationis causa, vbi D. Thomas d. 1. Politic. cap. 1. docet. * Considerandũ esse, quòd in homine est aliquid, quod est proprium eius, scilicet, ratio, secundum quam ei competit, quod ex consilio, & electione agat, hoc est, matrimonium. Inuenitur aliquid in homine absque electione, quod est commune animalibus, & plantis, naturale scilicet desiderium, seu appetitus, siue impulsus tale alterum relinquendi, hoc est generare. * Tres enim sunt teste Philosopho (1. Politic. cap. 10.) rei domesticæ partes: vna coniugalis, alia dominica; tertia paterna: quibus semper pater familias præest, quia principalissimum vbique gubernat, vxori & filijs, tanquã liberis, quidem ambobus, sed non eodem modo, sed vxori quidem ciuiliter, filijs autem regiè: quia in ciuilibus officijs plerumque commutatur is, qui præest, & is qui subest, nam æquales esse volunt secundum naturam, nec quidquam differre: attamen cùm hic quidem præest, ille verò sub-

Universidad Carlos III de Madrid. Biblioteca

ſubeſt, requiritur differentia figuris, & ſermonibus, & honoribus, vt Amaſis inquit, de pedum lotore. Enimvero maſculus ad fœminã ſemper, ita ſe habet; eſt enim maſculus & fœmina, alterum melius ſecundum naturam; alterum deterius, & illud imperans, hoc parens. Eſt igitur prima ſocietas, & combinatio coniugalis, & inde primus principatus: quia ſi ſocietas eſt, non abſque Rectore (ſine quo, nec domus vlla, nec gens, nec vniuerſus mundus ſtare poteſt) itaque ratione coniugalis ſocietatis caput mulieris vir eſt: vnde illuſtratur, & intelligitur difficile admodum Plinij dicterium lib. 21. capit. 8. *Lutei video honorem antiquiſsimum in nuptialibus flammeis totum fœminis conceſſum, & fortaſsis ideò non numerari inter principales, hoc eſt, communes maribus, ac fœminis, quoniam ſocietas principatum dedit.* Et exinde requiritur differentia (vt inquit Philoſophus) figuris, ſermonibus, & honoribus: maſculus enim melior eſt, & ſic imperans: fœmina autem deterior, & ſic parens, & ob id velo flammeo luteo nupta, ſiue ob nupta, quia non eſt caput, indeque obnubilato capite incedit, ex D. Iſidoro in capit. fœminæ 7. 30. quæſt. 5. Secunda ſocietas, & communicatio inter ſeruum, & dominum. Oportet enim (docet Ariſtoteles) in domo eſſe virum, & fœminam, & dominum, & ſeruum, aut pro ſeruo bouem: bos enim pro ſeruo pauperibus eſt; inde Heſiodum dixiſſe refert, *Domum in primis, mulieremque, & bouem aratorem.* Ex his ergo (inquit) duabus ſocietatibus domus prima, quæ tertiâ ſocietate paternâ, nempè liberos procreando, perficitur: hinc quotidiana ſocietas ſecundum naturam conſtituta domus eſt, quos Charundas quidem homoſyphices: Epimenides vero Cretenſis homocapnos appellat, eſt enim hæc communicatio in omnem diem ad omnes actus quotidianos, quę ita explicat D. Thomas in d. cap. 10. Politic. ſic coniuncti appellantur homoſyphices, quaſi vnius palmenti, vnius cibi, vnius

3

Universidad Carlos III de Madrid. Biblioteca

menſæ; homocapni verò, quaſi vnius fumi, quare ſedent ad eundem ignem, hinc à prima ſocietate, & inde à cæteris, ac imperio, & fœlicitate politica extorris fit, cui aqua, & ignis interdicitur, l. 2. §. 1. de pœnis, l. 1. §. 2. de legat. 3. Paulus lib. 5. ſentent. capit. 28. Ouid. 4. Faſt. Cujac. 6. obſ. capit. 39. Tull. 1. de officijs, & inde nefas erat exulem in domo recipere: tacitè enim mors inhærebat in aquæ, & ignis interdictione, & ſic pœna capitalis dicitur: nam cùm (docet Tullius) ſit hoc naturâ commune animantium, vt habeant libidinem procreandi, prima ſocietas in ipſo coniugio eſt: proxima in liberis: deinde vna domus, communia omnia: id autem eſt principium vrbis, & quaſi ſeminarium reipublicæ, ſequuntur fratrum coniunctiones, poſt cõſobrinorum, ſobrinorumque, qui cùm vna domo, iam capi non poſſint, in alias domos, tanquam in colonias, exeunt: ſequuntur cõnubia, & affinitates, ex quibus etiam plures propinqui, quæ propagatio, & ſoboles origo eſt rerum publicarum: in quem gyrans gyrando reuertitur omnis Principatus, Vrbs Regnũ, & Orbis: vnde ſicut de coadunatione, ita de extenſione legi poſſunt verſus Rutilij Numentiani.

Feciſti patriam diuerſis gentibus vnam,
Feciſti patriam diuerſam gentibus vnis,
Vrbem feciſti, qui priùs Orbis erat,
Orbem feciſti, qui priùs domus erat.

Hinc Iuſtus Lipſius lib. 1. de conſt. cap. 10. Patria eſt (inquit) quæ nos excipit, fouit, aluit, communi gentium ſenſu ſanctiſsima, & antiquiſsima parens, & Homerus exclamat Odiſſ. 1.

Sanè nihil dulcius ſua patria, neque parentibus,
Eſt, quamuis, quis procul diuitem domum,
Terra in alienâ habitet procul à parentibus.

Patriæ enim memoria dulcis, teſte T. Liuio, imo & natura ipſa teſtimonium reddit, hinc Pythagoras interrogatus

apud

apud Stobeum,serm.37.ex Plato.in Crit. *Quomodo oporteat se gerere erga patriam ingratã? vt erga matrem* respondit. Vnde noster Cõsultus scitè dixit, ius naturale esse, *vt parentibus & patriæ pareamus*, l.3. de iust.& iure: à patribus enim patria dicta, atque profluxa, originẽ vindicat, & principatum: quia prima societas, ideſt cõiugalis, principatum dedit, deditque Vrbes, Regna, & Orbem, nam vt dixit Homerus, Odiſſ.9.

..... *Ius quiſque miniſtrat*
Progenitis, atque vxoribus.

CAPVT II.

Quoniam ex coniugali ſocietate, primum extra ſe profluxit imperium in homines, ideò nuptiæ captatis fiebant augurijs, & ritibus, quod bonæ notæ litterarum exornatur calamiſtris, quibus explicatur lex 4. C. de crim. expil. hæred.

SVMMARIVM.

1. *Verba text. in d. l. 4. quæ exornantur, & explicantur.*
2. *Coniugalis ſocietas Principatum dedit.*
3. *Ritus in ineũdis nuptijs, ſicut in cõſtructione ciuitatis.*
4. *Ritus nuptiarum expenduntur.*
5. *Vnde* veſtimenta pignorata, *dicitur apud Prophetam.*
6. *Quid ſit Lucus, & menſura, quæ ei offerebantur.*
7. *Nouella. 54. quare edixit contra contrahentes nuptias in oſtrea.*
8. *Quarè nuptiæ in hortos ducebantur.*
9. *Solon primus erexit templum Veneri.*
10. *Ritus turpiſſimi gentium, quibus etiã immixti Iudæi.*

Vnde

Universidad Carlos III de Madrid. Biblioteca

11. *Vnde apud gentes dicta sit vxor* socia diuinæ domus.
12. *Virgilius verè intelligitur.*
13. *Quare lectum appelletur torum: & mulieres incedebant nodis vittarum coronatæ, & vnde mos coronare valuas, & limina Kalendis Iunijs.*
14. *Locutio quædam sacra expenditur.*

1 NEque inauſpicato iure primæ ſocietatis imperij, Gordiani Imperatoris verba glomerare conabor huiuſmodi in l. 4. C. de crimine expil. hæred. *Aduerſus vxorem, quæ ſociarei humanæ, atque diuinæ domus ſuſcipitur.* Breui enim inuolucro gygans antiquitatis myſterium, nec vulgaria iuris clauduntur penetralia: cauetur ergo lege. 12. tabularum, *Ritus familiæ patriæque ſeruanto*, & iterum, *ſacra priuata perpetuò manento*, Valer.
2 Maxim. lib. 2. cap. 1. Roſin. antiquit. lib. 5. cap. 37. Prima enim coniugalis ſocietas principatum dedit, ritus inſtituit, ſacraque coluit, itaque non niſi prius captatis augurijs, & auſpicijs nuptiæ initiebantur, quia rerum publicarum initia, *Et ne quid inauſpicato publicè gerunto*, cautum erat à Romulo, l. 2. Romuli, Iuſtus Lipſ. de legibus regijs, anuit Cicero pro Cluentio, *nubit genero ſocrus, nullis auſpicibus, nullis auctoribus, funeſto omnibus omnium.* Vnde poſt verborum conuentionem ſponſa velo flammeo luteo nupta, ſiue obnupta (quod non erat viris commune, quia ſocietas illis principatum dedit, Plin. d. lib. 21. capit. 8. Briſ. lib. 1. Sel. cap. 18.) in viri domum ducebatur, quaſi coniugij domicilium: inde vxorem ducere, quaſi domum ducere, & ducere familiam, ideſt, præeſſe familiæ, interprete ex Cicerone, Iuſto Lipſio lib. 1. Saturn. cap. 15. *Lucius quidem frater, vt qui peregrè depugnauit, familiam ducit*, nam qui caput, & Princeps eſt, rectè ducere dicitur ex eo, quia ducit, inde dicitur ducere ordines, Cicer. 3. de orat. & apud Quintilianum declam. 302. ducere claſſem, &

Do-

Universidad Carlos III de Madrid. Biblioteca

Doctores laniſtæ dicti hi, qui condoce faciebant, & ducebant ad pugnam, vt ex Cicerone, Valerio, Quintiliano, & Suetonio, ac Seneca libat Iuſtus Lipſius ſupra, & ſic vir vxorem ducere dicitur, quia caput eſt vxoris, duxque familiæ. Itaque in ſocietate huiuſmodi ineunda, velut in 3
conſtructione vrbis, & regni, ſacrorum omnium conferebantur ritus, hinc per Anthonamaſiam in iuris arte rubrica *de ritu nuptiarum* inſcribitur: quia vti refert Seruius in 4. Æneid. Donatus in Hecyra Terentij, Plin. lib. 29. c. 2. & lib. 28. cap. 9. moris fuit, vt nubentes puellæ, ſimul ac veniſſent ad limen Mariti, poſtes antequam ingrederentur, ornarent laneis vittis, & oleo vngerent (vnde vxores quaſi vnxores) atque farre, aqua, & igne vteretur, Thalaſio inuocato, ob virginis Sabinæ raptum, ſiue ob lanificij calarhum: ſeu vas fœdere inter Romanos, & Sabinos percuſſo pactione, & lanificij reſeruati lege, inde Catulus ait, *Luſiſti nucibus, lubet iam ſeruire Thalaſio*, hinc præferebatur in nuptijs haſta, in ſignum, quòd ob bellum multæ nuptiæ effectæ fuerant (imò & ad bellum) ſed ſponſa ingreſſa domo, per feneſtram virga illa eijciebatur, nil enim niſi amor, & pax intus relinqui oportebat, & ideò contractus matrimonij, igne euomito è ſylice percuſſo, ratus erat, & firmus.

In primis ergo ſacris ritibus ingrediebantur poſtes, & 4
limen domus mariti, vittis ornantes laneis: inſigne enim erat dominij, ac imperij patris familias (Senec. epiſt. 47.) qui exinde Rex, & dominus appellatur à Platone, & ei huiuſmodi genus debetur honoris, hinc Cotys Tracum Rex, qui cum filiam Iphicrati in matrimonium collocaſſet, ſtrato pulcherrimè foro nuptias celebrauit, Athæneus refert lib. 4. cap. 2. & lib. 12. cap. 3. & lib. 13. cap. 2. dicens: *Pedeſque horum aulam incedebat Sardiacis tenuibus tapetibus ſuppoſitis, ſuper quibus, nulli præterquam Regi incedere licebat*, & ex ſacris litteris libat Martin. de Roa lib. 2.

ſing.

Universidad Carlos III de Madrid. Biblioteca

singul. cap. 7. & ex Sext. Pompeio Rosin. lib. 5. c. 37. quod etiam in veste lanata progrederetur spōsa) simulachrum quidem deditionis, & subiectionis) viro suo.

Et ex eo quoquè postes vittis cingebant laneis, quia hoc ritu domus mariti Laribus sacrificabāt, & quasi Initiatorum vestes Dijs offerebant, vt sibi essent propitij, si ad pedes, & genua eorum sternerent vestimenta, vt scribit Turnebus ex Virgilio Æneid. 1.

Crinibus Iliades passis Peplumque ferebant.

Et quod Troianæ mulieres hanc attulliſſent vestem, quæ Mineruam induerent, refert & Eusthatius lib. 10. Iliad. *Talis igitur* (ait) *Peplus videtur, & in Odyssea Telemacho, ab Helena datus esse, & Troianæ, Minerua in genibus positus,* inde Hector ita Hecubam alloquitur.

Palladis ad templum libamina, thuraque portans
Ascendens Peplumque Deæ, quod in ædibus intus,
Eximium, pulchrumque tenens pretiosius vllum,
Quo non est aliud venerandum defer in ædem
Ante Deæ genua auricomæ speciosa reponens.

Et infra.

Et sumptum manibus fulgenti muricè Peplum
Obtulit ante pedes Diuæ, genibusque dicatum
Applicuit.

De qua veste mentio est apud Platonem in Eutyphr. Diodor. Siculum lib. 20. Aristotelem, Suidam, Harpocratiū, Plautum, & alios quos refert Melanthius in libro de Mysterijs, apud Celium Rodiginum lib. 16. vt quamquis vestem initiaretur, eam Dijs offerret, ac dicaret in templis' quia vestimenta, quasi fœderis pignora initiationis, aut deuotionis Dijs cōsecrabant, ideò pignorata dicta apud Prophetam Amos cap. 2. ostendentem Hebræos improbè fuisse gentilitio immixtos ritu, quia *Accubuerunt super vestimentis pignoratis, iuxta omne altare, & bibebant vinam damnatorum,* & à Rege Psalm. 105. dicitur, *Initiati sunt*

Beel-

Universidad Carlos III de Madrid. Biblioteca

Beelphegor, & comederunt sacrificia mortuorũ, & ab Ezech. c. 16. *Sumpsisti vestimenta tua multicoloria, & operuisti illas*, & à sacro Regum historiagrapho lib. 4. Reg. c. 23. *Destruxit quoque ædiculas effeminatorũ, quæ erãt in domo Domini, pro quibus mulieres texebãt quasi domũculas Luci*, vbi Chaldæus legit *in domo sanctuarij, in qua mulieres texebant mẽsuras Luco*, hoc est apud nos *medidas*, annuit Virgil. 7. Æneid. 6

Præferimus manibus vittas, & verba precantum.

Inde Diuus Hieron. in d. c. 23. Reg. ait. *Destruxit domum initiatorum, quæ in domo Domini sunt, in quo mulieres texebant ibi stolas Luco*, & per methonimiam Lucus accipitur pro Idolo Luci, siue pro Iunone, vt ex Sacra pagina deducitur, lib. 4. Reg. cap. 21. *Et fecit Lucos, sicut fecerat Achab*, iuncto ibi, *posuit quoque Idolum Luci, quem fecerat in templo Domini*, Tertul. de vel. Virg. cap. 8. ritu enim illo præsertim puellæ sacrificabant Iunoni, quia præesse nubentibus dicebatur, & ad nubendum auxiliatrix erat Iuno Interduca, & ad ingrediendum domum alia Dea, quæ appellabatur Domiduca. Inde & pronuba Iuno dat signum, & Cygia dicitur, quasi iugalis ab eo, quòd præest maritali coniugio, Virgil. 4. Æneid. 7

Iunoni ante omnes, cui vincla iugalia curæ.

Et socigena, quòd mares conubio fœminis iungat, & societ, & cinxia, quòd virginibus cingulum castitatis exolueret die nuptiarum, itaque mulieres texebant mẽsuras, siue stolas, aut vittas Luco, seu Iunoni offerebant, vt propitia esset coniugibus, vbique præsidens domui, hinc leg. 12. tabularum cauebatur, *Constructa à Patribus delubra habento. Lucos in agris habento, & Larium sedes.* Inde Asius Poeta, de Samijs Iunonis festum celebrantibus, inquit apud Athenæum lib. 12. cap. 9.

Sicilli pexi Iunonis templa petebant
In Lucum ornati per pulchris vestibus, atque
Tellurem niueis texerunt vestibus omnes.

Universidad Carlos III de Madrid. Biblioteca

Et Ouidius de Iunonis simulachro, quod mulieres deferebant in Lucum, ita canit lib. 3. Eleg. 12.

Qua ventura Dea est iuuenes, timidæque puellæ
Præbuerunt latas veste iacente vias.

Et Syllius lib 13.

Diues vbi ante omnes colitur feronia luco.

Et lucus etiã accipitur pro Idolo Veneris, vt sentit Martin. de Roa ex Theodoreto. * Lucum autem (inquit) qui Græcè est Alsos, alij interpretes, vt sæpè dixi, nominant Astaroth: est autem hoc nomen Veneris, eam enim appellant Astartem, eius autem simulachrum quoque statuerunt in templo Dei. * Hiramus enim filius Abibali Regis Tiri (vt refert Iosephus lib. 1. contra Appionem) regnans ante Pygmaleon. 143. annis, & antequam Cartago à Didone construeretur, Herculi, & Astartæ fana dedicauit: vnde nepos eius Beleastri filius Startus cognominatus fuit, cui successit frater eius Astarimus, & peremptus est ab altero fratre Phelete, quem etiam peremit Ithobalus Astartæ sacerdos, ideſt Veneris: hinc etiam apud Romanos sedes lasciuiæ Veneri sacrata, vti refert Tertullianus ex Suetonio in Claudiano cap. 21. & elect. lib. 1. cap. 11. * Pompeius Magnus teatro suo minor, cũ illam arcem omnium turpitudinum extruxisset, veritus quandoque memoriæ suæ, censoriam animaduersionem Veneris ædem superposuit, & ad dedicationem edicto populum vocans, non theatrũ, sed Veneris templum nuncupauit. * Et ibi: E tribunali posito in Orchestra commisit, cũ prius apud superiores ædes supplicasset, perque mediam cabeam sedentibus, ac silentibus cunctis descendisset. * Iustus Lipsius antiquit. lect. lib. 2. capit. 9. reiecta
7 autem lectione Læuini legit, *Apud superiorem ædem, nempe sacram Veneris*. Hinc edixit Iustinianus contra cõtrahentes nuptias in Ostrea. Nouella. 54. Ibi enim nubentibus prætextis depositis à multitudine puerorum, qui ad eam

Universidad Carlos III de Madrid. Biblioteca

eam celebritatem frequentes conueniebant nupta verba, ideſt, obſcena, clamabãtur, verſuſque mollicie, ac laſcibia defluentes maxima, neque vlli reprehenſioni obnoxia licentia occinebantur, quos verſus Faſceninos vocabant, ſiue ex vrbe Faſcenina adlatos, ſiue quòd Faſcinũ arcere putarẽtur, hæc ſolemnia, & ſpectacula, etiam Maiumæ dicebantur à nobili portu Maiuma; Gazeorum, vbi templum Veneris fuit famatiſsimum, ac impudicum, ac turpiſsimum ſimulachrũ, Gotifred. in l. vnic. C. de Maiuma Amaya lib. 3. obſeru. cap. 5. cuius ſimile Pompeianum theatrũ, quod proſtibulum appellat D. Iſidorus lib. 18. eo quòd poſt ludos exactos, meretrices ibi proſternerentur, & non ſine ſolemni pompa, & cum prædicatione publica. Inde Seneca ait, *Omnis cultus luxurioſior conuerſatio, cum viris licentior*, lib. 6. contr. vltim. & exornat Lipſius antiquit. lib. 2. cap. 9. & de Veſta. cap. 13. quia omnis ſcortationis, & impudentiæ præſes, & magiſtra Venus colebatur, & hortorum Dea appellabatur, & cuſtos; inde virgines nupturæ frequenter in hortos ducebantur, vt annuit Iure conſultus in l. 66. de donat. inter vir. & vxor, & ibi Gotifredus, ſiue ad vim ineundam generandi, vnde Venus Aphrodite, ſeu Aphrogenia, Mant.

Curue tuo mitem curruptemis Aphrogeniam.

Et Statius lib. 1.

Ipſa manu nuptam genitrix Aeneia duxit.

Et cum Iuuen. Satyr. 10. & 6.

Tyriuſque palam genialis in hortis ſternitur.

Siue etiam, qòud Venus pro oleribus, & floribus, omnique delicie vſurparetur, vt Deus quoque turpitudinis Priapus hortorum Deus, & tutela Priapus, ait Ouidius Faſt. 1. & refert Meuius apud Feſtum, quoniam in ſinu Priapi ducendæ ſcortabantur, hinc nullum propè numen veterum Deorum maioribus ritibus, & ceremonijs frequentibuſque locis honoratũ legitur. Aſsirij enim primi omnium,

Universidad Carlos III de Madrid. Biblioteca

eius cultum induxêre, quos in Cypro Paphi sunt initiati, & Phenices: inde Claudian.

Dubios agnouit sola tumultus Diua Paphi.

Et Mantuan.

Cyprigenæ campos, & regna per ardua Phœbi.

9 Et Delphis publicę, siue meretritiæ Veneri templum primus Solon erexit, vt refert Philemon, apud Athenæum lib. 13. capit. 9. in cuius domicilijs fœminæ prosternebantur: insinuat Iuuenalis Satyr. 9.

Sed nunc ad quas non Clodius aras,
Nam quo non prostat fœmina templo.

10 Quæ mętis, & rationis turpissima cæcitas etiam Iudæos inuaserat, vt notat Ouidius de templis Veneris, atque Isidis, lib. 1. de Arte.

Nec te prætereat Veneri ploratus Adonis,
Cultaque Iudæo septima sacra viro.

Vnde dicitur in sacris litteris, Mach. lib. 2. capit. 6. 2. Paral. cap. 14. & cap. 15. lib. 3. Regum cap. 15. *Pessima autem & vniuersis grauis erat malorum incursio, nam templum luxuria, & commensationibus gentium erat plenum, & scortantium cum meretricibus: sacratisque ædibus mulieres se vltrò ingerebant intrò ferentes ea, quæ non licebat*, imitatione gentium, sed *fecit autem Asa, quod bonum, & placitum erat in conspectu Dei sui, & subuertit altaria peregrini cultus, & excelsa, & confregit statuas Lucosque succidit.* Et iterum, *abstulit effeminatos de terra, purgauitque vniuersas sortes Idolorum, quæ fecerant patres eius insuper, & Maacham matrem suam amouit, nè esset Princeps in sacris Priapi, & in Luco eius, quem consecrauerat, subuertitque specum eius, & confregit simulachrum turpissimum, & combusit in torrente Cedron*, Martin. de Roa lib. 2. singul. capit. 10. offerebatur enim ei defloratio virginum, quas stupabant coram eo Sacerdotes eius, siue iuuenes, cum lasciuienti, & turpissimo concursu, inde Mantuan.

In-

In famem veterem quemdam finxere Priapum.

Phœnices quoque, & ex eis Cartaginenſes virgines ducendas conſecrabant templo Veneris, vbi ſcortationibus lucrabãtur dotes, vt nubere poſſent, refert Valer. Maxim. lib. 2. Eodem ritu vtebantur Thebani, aut Cilicij, ſiue Eliopolitæ, licèt poſt matrimonium caſtè viuebant, inquit Herodot. lib. 1. cap. 9. & lib. 6. cap. 2. & lib. 18. capit. 22. Eadem ſuperſtitione, & libidine implicati fuerunt Lidi, & Paphi, hoc eſt Cypri, vt retulit Iuſtinus in abreuiatione Tragi. Et Hiſpaniæ quoque virgines omnibus ſuccedebãt oſſa oliuarum, ſiue cum omnibus ſcortabantur, vt ait Cœlius Rodiginus, quod abſtulit Conſtantinus, vt refert Caſſiodor. in hiſt. tripar. Eadẽ turpitudine, & ſcortatione, Armeniæ ſacrificabant Deæ Anetidi, ideſt Veneri, ita vt ex ſacrificio libidinis dignas ſe matrimonio forè exiſtimabant: & ad hoc etiam Iliricæ ſcortabantur, teſte Marc. Varrone de re ruſt. lib. 6. cap. 10. Et Troglo ditæ nocte nuptiali abidiſsimè, cum omnibus cũ quibus voluiſſent, ſcortabãtur. Et ſimiliter in inſulis Bellearibus. Et Adirmochidæ in Africa prius ſtrupabantur à Rege, quam nuberent. Et in inſula fortunata Canaria, vt inquiunt Archang. Madrignanus in itiner. Luſitan. & Ioan. Barros lib. 1. cap. 12. Decad. 1. vita quòd virgo, quæ nubere vellet, priùs in locis publicis amittebat virginitatem, ac in nocte nuptiali, priùs à Sacerdote ſtrupari debebat, quàm à marito, & etiam ſacerdos cum Regina coibat in abſentia Regis, vti refert Volaterranus in ſua Geograph. lib. 21. cap. vltim. Thebarum quoque virgines, priuſquam nuberent, ſe Ioui vouebant, & ita conſecratæ cum omnibus, qui eas appetebant, coinquinari debebant, vſque dũ menſtruum effueret, & inde nubebant. Eadem Getulis libertas erat, & Bactrianis, & Lituanienſibus in Europa, ac in ciuitate Suſa, vt inſcripſerunt Pius in deſcript. c. 26. & Clem. Alexand.

xandr. lib. 9. cap. 7. & Eusebius in præp. Euang. lib. 6. cap. 8. Hieron. Roman. lib. 3. cap. 12. Locri, & Boetij in Græcia nullum ratum matrimonium esse dicebant, nisi prius virgini Dianæ, vtrique sponsus, & sponsa sacrificassent, & Romanæ in sinu Priapi à voto Casandræ Priami filiæ, quę Apollini copiam sui corporis promisit: vnde ab eo vates sacrata est, quæ solum raptum Helenæ prædixit. Ex quibus omnibus infertur, apud gentes vxorem sociam diuinæ domus appellari, quæ suo improbo more sacris legibus, & ritibus sociata fuisset, vt cautum est à Romulo, teste Halicarnaseo lib. 2. fol. 95. *Mulier nupta, quæ sacris legibus cum viro conuenit fortunarum, & sacrorum socia illi sto, vt que domus ille dominus, ita & illa domina.* Hinc rectè Duarenus rub. solut. matrim. titulo de nupt. capit. 1. & ex illo tacito nomine sibi hanc vindicat intelligentiam Basil. de Leon lib. 1. de matrimon. cap. 2. num. 6. Diuini iuris communicatio, ait, idest, sacrorum gentilium, dum quisque suos lares veneraretur, præcipuè vittis laneis alligando, postes domus mariti, quasi genios, & Penates implicãdo, vt propitij maritum impediant animo molli, & laneo, amoreque sociali in eam, quæ quasi ouis semper alieno eget auxilio, ideoque etiam laneis vittis inertiam, & imbecilitatem supplicãtis ostendebant: vnde in omnibus sacris, tum victimas, tum aras, tum Sacerdotes vittis ornabant, quasi omnem potestatem à superis orando, quia in eo solo nos saluos esse possumus, si potestati, & benignitati diuinæ nostra debilitas alligetur, annuit Statius lib. 12.

Vittatæ laurus, & supplicis arbor oliuæ.

Et Virg. 8. Æneid.

Optime graiugenum, cui me fortuna precari,
Et vitta comtos voluit prætendere ramos.

Hinc ereśione dicitur Græcè ramus olenginus, lana oblutus, qui ad ianuas suspendi solebat in honorem Appollinis, Virgil. Eglog. 8.

Mol-

Molli cinge hæc altaria vitta.

Similiter vxor cingebat limen, & postes domus mariti, quasi altaria, geniorum benignitatem, & propitiationem impetrando, coniugisque amorem implicando, inde de nuptijs, Seruius intelligit Virgil. 4. Æneid.

Præterea fuit in tectis de marmore templum, 12
Coniugis antiqui miro quod honore colebat
Velleribus niueis, & festa fronde reuinctum.

Vbi Seruius, *colebat* (inquit) *ea quæ circa viuos solent fieri; moris enim fuerat, vt nubentes puellæ, simul vt venissent ad limen mariti, postes antequam ingrederentur, ornarent laneis vittis, vnde ait velleribus niueis, & oleo vngerent, vnde vxores, quasi vnxores.* Sed reprehenditur à Roa immeritò tamen, quia quamuis Sicheus vti numen aliquod inter diuos relatum in templo marmoreo velleribus vittato, & festa fronde vestito à Didone veneraretur, vti refert Ouidius.

Est mihi marmorea seruatus in æde Sicheus,
Appositæ frondes vellera, & alua tegunt.

Et idem Virgil. 2. Æneid.

Vittæque Deum, quas hostia gessi.

Et Statius ad Iul. Menecr.

Pande fores superùm, vittata aque templa Sabeis
Nubibus & pecudum fibris spirantibus imple.

Rectè quidem Seruius dixit, quia sicut nubentes postes domus mariti vittis cingebant, ex eo quòd petere se ostendebant eam coniunctionem, apud eos lares, & Penates, quos obsecrabant, ita similiter Dido colebat Sicheū (coniugem antiquum, iam genium domus suæ) velleribus, & vittis: minimè enim ignorabat Seruius, hunc honorem Dijs deferre, siquidem dixerat, ibi in 2. Æneid. *Vittæque Deum, quas hostia gessi* (idest) *vel quæ habentur in honore Deorum, vel quas habēt ipsa simulacra.* Sed annuit quod Dido non solum colebat numen, sed numen coniugem

gem quoniam, vt inquit Goropius * Suplices, etiam vitas antiquo more ferre solent, quo ostenderent se tùm petere coniunctionem apud eos, quos obsecrabant, quæ omnibus hominibus necessaria est ad salutem, & tranquillitatem, sicut enim homines Deo capiunt amoris
12 vinculo alligari, quo eius ope, ac præsentia iubentur, ita homines quoque supplices ijs, quos rogant, se deuincere studeant, quo ipsorum auxilio subleuentur, * de his gentium delirijs Tiraquel. scribit l. 4. connubial. & Molino, de ritu nupt. in anteludio: ita nubentes, vt non nisi ab ipsis Laribus mariti potestatem, matris familias coniunctionem, tranquillitatem, & fœlicitatem acciperent, & coniugem necterent vinculis amoris, & vittis, sic Dido sacra factura.

Vnum exutapedem vinclis in veste recincta.

Vt ipsa solueretur, & inecteretur Æneas: quibus & meretrices abutebantur (ad quem ritum alludit Propheta Baruch cap. 6. dicens: *Mulieres autem circundatæ funibus in vijs sedent*) vt homines libidinis vinculis implicarent: ita Seruio teste, apud Virgilium, Daphnidis, imago tribus, licijs, triplici colore circundatur, vt ita amore ipsius implicetur Eglog. 8.

Terna tibi hæc primùm triplici diuersa colore,
Licia circundo terque hæc altaria circum
Effigiem duco.
Necte tribus nodis ternos amarylli colores,
Necte amarylli modo, & Veneris dic vincula necto.

13 Ideò triplici, quia funiculus triplex difficilè rumpitur, vnde Petronius, *Illa* (inquit) *de sinu licium protulit varij coloris filis in tortum ceruicemque vnxit meam*: facit illud Varronis lib. 1. de vita P. R. quòd frontem lecticæ sternebant ex herba torta, appellatur torum, & hoc quod injicitur, etiã toral dicitur: vnde funiculus, apud Hebræos, etiam lectum signihcat. Psalm. 138. *Semitam meam, &*

funiculum inueſtigaſti, per ſynecdochem in Hebræo eſt. *Cubitum meum cinxiſti.*

Mulieres denique olim Veneri ſacrificaturæ nodis vittarum, atque corollis coronabantur (vti hodie communi, & quotidiano ornatu penè incedunt) vel quia amabant, vel amari cupiebant: vnde Homerus de Iunone, cõgreſſura cum Ioue, ſiue cũ amore alligatura, ita Canit Iliad. 14.

Tum formoſa habili præcingit corpora Zona
Aureolis vario pendentibus ordine bullis.

Inde & Diuus Chriſoſtomus, ait. *Similiter & mulieres in habitu ornato, non ignorabat ex paganico ritu coronatos olim inceſiſſe amatores, quoslibet tanquam vinculis, quibuſdam impeditos, & illorum quos amarent valuas, itidem coronare ſolitos.* Et adhuc ſemitam videmus diebus Maij, & nocte Diui Ioannis, quia apud gentes Kalendis Iunijs ædes dicata fuit Præſidi nuptiarum Iunoni, vt refert Tullius lib. 1. de diuinat. nubentes enim cupiũt deuincere alligare, & obligare amoris vinculis coniuges, inde poſtes domus eorum vittis cingebant, ideò Pſalmifer inuitat ad nuptias agni ad nuptias veri Dei, verique viri noſtri, his verbis, Pſalm. 117. *Conſtituite diem ſolemnem in condenſis, vſque ad cornu altaris*, vbi Hebræus, *alligate agnũ funibus intricatis.* 14

Triplici diuerſa colore
Licia circunda, terque hæc altaria circum
Effigiem duc.

Funiculo triplici, qui difficilè rumpitur ex pietate, & ſanctitate, ac religione connexo, quoniam Chriſtus caput eſt Eccleſiæ, ſicut vir caput eſt mulieris, ideoque his etiã verbis conqueritur, per Hieremiam cap. 10. dicens: *Tabernaculum meum vaſtatum eſt, omnes funiculi mei diruti ſunt, filij mei exierunt à me.* Quia rumpere funem, & funiculum eſt amoris vinculis ſe expedire, & ab eis exire, nè igitur rumpamus tales funiculos Dei noſtri, ſed in nuptijs (Apocalipſ. 19. Lucæ capit. 14. Matth. cap. 22.)

Universidad Carlos III de Madrid. Biblioteca

ad quas nos inuitat benignissimus, alligemus ipsum funibus intricatis vera, nempè pietate religione, & sanctitate, vt nobis sponsus propitius sit Deus.

CAPVT III.

Ratio vngendi postes domus mariti in simulacrum diuini imperij, propitiationisque clypeum, ac amore in vinculum imperandi, & obediendi. & lux donatur abditis Iureconsultorum oraculis.

SVMMARIVM.

1. *Ritus vngendi postes domus mariti, & quarè.*
2. *Text. in l. non contrahit, & in l. qui statuas, ff. ad leg. Iul. maiest. exornatur.*
3. *Text. in l. Seia. 6. in fine de aur. & arg. leg. cum alijs iurib. explicantur.*
4. *Text. in l. 41. ff. de vsufructu, expenditur.*
5. *Ratio secunda vngendi postes.*
6. *Ratio tertia ex duplici motu.*
7. *Ratio text. in l. plerique, ff. de in ius vocand.*

1 OLeo quoque vngebant domus postes, & limen mariti, vnde vxores, quasi vxores, inquit Seruius Eph. 4 Æneid. hincque fores appellantur vdæ, quasi vnctæ, vti ex Persio Satyr. 5. deducitur.

An rem patriam rumore sinistro.
Limen ad obscenum frangam dum Chrisidis vdas
Ebrius ante fores extincta cum face canto.

Et ex Philone Iudæo notat Martinus de Roa lib. 3. singul. cap.

Universidad Carlos III de Madrid. Biblioteca

cap. 1. & ex Seneca, & alijs Lipsius lib. 2. electitor. cap. 18. quia amatores ad ædes, quasi ad sanctissima templa cursitabant bona petituri à postibus, & liminibus, quasi numinibus, Lucretius lib. 4.

At lacrimans exclusus amator limina sæpè,
Floribus, & sertis operit, poste isque superbos,
Vngit amaracino, & foribus miser oscula figit.

Et Plautus.

Agite, bibite festiuæ fores
Potate, site mihi volentes propitiæ.

Et Tibullus lib. 1. Eleg. 2.

Te meminisse decet, quæ plurima voce peregi
Suplici cum posti florida serta darem.

Et Ouidius lib. 3. de Arte.

Postibus, & suplex precibus blandire puellæ,
Et capiti demptas limine pone rosas.

Quoniam gentes domorum fores, & limina pro Dijs venerabant, vt inquit Diuus Augustinus lib. 4. de ciuit. Dei cap. 8. *Vnusquisque domui suæ ponit ostiarium, & quia homo est omnino sufficit, tres isti Deos posuerunt Forculum foribus Cardeam cardini, Limentinũ limini.* Eadem ratione, & verbis Tertullianus noster Iureconsultus de coron. milit. superstitionem impugnabat. *Etenim Christianus, nec Ianuam suam laureis infamabit, si norit, quantos Deos ostijs diabolus affixerit: Ianum à Ianua, Limentinum à limine Forculum, & Cardeam à foribus, & cardinibus, & Tyræum Apollinem, & Antelios Dæmones, apud Græcos ij enim Tyræon vocãt quid foribus adiacet.* Et extra illas est ita Tyræi Apollinis aræ ante fores à Græcis celebrantur, & Antelij Dij sunt, qui pro foribus dedicantur, de qua superstitione, quæ etiam Hebræos inuaserat conqueritur verus Deus noster, per Isaiam cap. 57. dicens: *Et post ostium, & retro postem posuisti memoriale tuum, quia iuxta me discooperiusti, & suscepisti adulterum.* Idest Idolarium geniorũ, aliorumque Deorum

Universidad Carlos III de Madrid. Biblioteca

Gentilitio ritu, in ipso domus introitu tibi collocasti, inde præcipitur per Ezechielem capit. 20. *Vnusquisque offensiones oculorum suorum abijciat.* Sicut enim in porticu ciuitatis, etiam in vestibulo domus, cuiusque Idolorum imagines collocabant, vti expresse deducitur ex Seneca de const. ad Polybium. *Fortuna ibit valentior* (inquit) *per omnia, sicut est solita eas quoque domos ausa iniuriæ causa intrare in quas non nisi per templa aditur, & atram laureatis foribus inducere vestem.* Anuit de templo, quod in vestibulo palatij fecerat Diuo Augusto coniux Augusta, vti ex Plinio lib. 12. Iustus Lipsius Ann. Corn. Tacit. lib. 1. num. 63. & 64. explicat Cornelij Taciti verba, *Templum & cœlestes religiones decernuntur*, & ibi, *Falanio obijciebat accusator, quod inter cultores Augusti, qui per omnes domos in modum Collegiorum habebantur, Casium quemdam Mimum corpore infamem adsciuisset, quoque venditis hortis statuam Augusti, simul mancipasset*, & verbis Tiberij, ibi: *Nec contra religiones fieri, quod effigies eius vt alia numinum simulacra venditionibus hortorum, & domuum accedant, iusiurandum perinde æstimandum, quam si Iouem fefellisset Deorum iniurias Dijs curæ.* Et huic adulationi non defeciſſe fatetur Ouidius etiam in pœnali hospitio lib. 4. de Ponto.

Nec pietas ignota mea est, videt hospita tellus
In nostra sacrum Cæsaris esse domo.

Hãc etiam nunc adulationem vigere video: video enim in clientum domibus, non solum Augusti effigiem, sed etiam Mecenatis, caue Christiane, caue nè iustè beneficij accepti memoriam, in adulationem futuri iniustè cõuertas, & superstitionem, vt Horatius accidisse testatur Augusto viuo.

Præsenti tibi maturos largimur honores
Iurandasque tuum per nomen ponimus aras.

Quam adulationem, imò superstitionẽ inter vltiones sanguinis ciuilis posuit Lucanus facundè quidem, vt & Lipsio, & mihi videtur lib. 7. *Cla-*

Universidad Carlos III de Madrid. Biblioteca

Cladis tamen huius habemus
Vindictam quantam terris dare numina fas est,
Bella pares superis facient ciuilia diuos,
Fulminibus maneis radijsque ornabit, & astris
Inque Deum templis iurabit Roma per vmbras.

De statuis patronorum, sic etiam intelligit Alciatus lib. 8. Parerg. cap. 8. pro quibus fores, & limina adoranda proponebant clientes, cum eorum copiam facere non possent, vt insinuat Virg. 2. Georgic.

Si non ingentem foribus domus alta superbis,
Mane salutatum totis vomit ædibus vndam.

Hinc enim dicitur, etiam apud Hebræos superstitione adulationis infestos, teste Mart. de Roa de die natali c. 21. *Per vniuersas ciuitates in circuitu ædificauerũt aras, & ante Ianuas domorum, & in plateis incendebant thura, & sacrificabant*, nempè quia ex gentium ritu Idola in compitis in domibus ad vestibula, & Ianuas, & ex Philone Iudæo apertè deducitur de legatione ad Caium. *Taceo* (inquit) *deletos à furẽtibus eodem incendio honores Romanorum Principum clypeos coronas, statuasque aureatas, cum suis titulis, quos reueriti continere impetum debuerant*, inde dixit Suetonius, & Tertul. & refert Lipsi. 1. Ann. Tacit. n. 195. *Maiore formidine, & calidiore timiditate Cæsarem obseruatis, quam ipsum de Olympo Iouem.* His ergo lux adfulget tenebricoso Iure cõsulti dicterio, l. nõ contrahit, l. qui statuas, ff. ad leg. Iul. maiest. nẽpè *Non videri contra maiestatẽ fieri, ob imagines Cæsaris nondum consecratas, venditas* prælibato ex Tiberij rescripto, apud Tacit. lib. 1. Annal. n. 196. Cicer. pro domo Anast. Ger. de sacr. imm. lib. 1. c. 2. *Nec contra religiones fieri, quod effigies eius, vt alia numinum simulacra vẽditionibus hortorum, & domuũ accedant*, ex ratione illa, *non ideò decretum patri suo cœlum, vt in perniciem ciuium is honor verteretur.* Hinc lege Papiria cautum erat priuatorum ædes absque plebiscito consecrari non posse, nè Domini rerum

2

sua-

ſuarum inuiti priuarentur, ita vt dixit Cicero. *Ego vero ſi omnia ſolemnibus verbis veteribus, & priſcis inſtitutis acta eſſe dicerem, tamen me reip. iure defenderem* (ideſt adhuc vindicarẽ.) *An ſi poſtem tenuerit Põtifex, & verba ad religionẽ Deorum immortalium compoſita ad pernitiem ciuium tranſtulerit, valebit ad iniuriam nomen ſanctiſsimum religionis?* ideſt res deſineret eſſe priuata, & fieret ſacra: itaque inquit, *cum Scebola Pontifex Maxim. pro collegio reſpondit, quod in loco publico licinia iniuſu populi dedicaſſet ſacrum non videri eſſe.* Vnde iure exagitat purpuratos illos ſtipites Tertullianus, refert Lipſius vbi ſupra. *Publicos aquè Deos fædatis, quos in haſtario vectigales habetis, ſi capitoliũ, ſi olitorium forum petitur, ſub eadem voce præconis, ſub eadem haſta, ſub eadem annotatione Quæſtoris diuinitas addicta conducitur.* Sed huiuſmodi imaginum collocationem diſtinguendam fore exiſtimo, aut enim publicæ adijciebatur ſedi, aut priuatæ: publicæ veluti in porticu publico, vel in municipio, vel in ſacra æde, & in patria, vt apud Conſultos iuris ratum, piumque legatum eſt. *Heredem meum volo fideique eius committo, vt in patriam meam faciat porticum publicam, in quo poni volo imagines argẽteas. item marmoreas*, rurſus *Ad authoritatem ſcribentis, hoc quoque pertinet cum quis iuſſit in municipio imagines poni*, iterum *Iubeoque ſignum Dei ex libris centum in illa ſacra æde, & in patria ſtatui ſubſcriptione nominis mei*, l. Seia. 6. in fin. ff. de auro, & arg. leg. l. Quintus Mutius. 7. ff. de ann. leg. l. Titia. 38. §. Seia de aur. & arg. leg. l. 14. de condit. & demonſtrat. l. 5. de oper. public. Gotifred. in d. l. 7. Cicer. 4. in Verr. Tunc reõè accuſaretur Falanius, & quiſquis eſſet, qui ſignum imaginem, aut ſtatuam publicè adſcitam mãcipaſſet vendidiſſetque, quia licèt ſacræ re : ſunt, quæ publicè conſecratæ ſunt, vt docent Iuriſconſulti Vlpianus, & Martianus in l. 6. & in l. 9. de rer. diuiſ. ſiue vt Iuſtinianus in §. 4. inſt. eod. quę ritè, per Pontifices Deo conſecra-

Universidad Carlos III de Madrid. Biblioteca

tæ sunt, tamen, quæ publicis, & sacris dedicãtur publicis, & sacris cedunt. At verò si priuatæ sedi, aut priuatim, vt inquit Martianus, quis authoritate sua, quasi sacrum sibi constituerit, sacrum non est, sed prophanum: ideoque hoc modo, quæcumque Numinum simulacra venditionibus hortorum, & domuum accedunt impunè, l. æde sacra, de contrah. empt. Alex. Neapol. lib. 6. cap. 14. & lib. 1. cap. 8. Anastas. Germ. de sacr. imm. lib. 1. cap. 2. nè religio priuata in pernitiem ciuium verteretur, aut iactura rerum religionem minueret, veneration emque auferret priuatam, cui lex. 12. tabularum præcauit, dicens: *Ritus familiæ patriæque seruanto, sacra priuata perpetuò manento.* Ita vt etiam priuatæ domus imagini, seu statuæ oblationes, & dona offerebantur, quę velut Sacerdos caperet pater familias, ex quibusque posset constituere vsumfructum, vt respondit Iureconsultus sic intelligendus in l. 41. ff. de vsu 4
fructu. Damnatorũ autem, & Tyrannorum imagines domi habere nefas erat, vt exornat ex multis Lipsius lib. 6. Annal. Tacit. in princip. Sacris denique ritibus vtebantur in nuptijs, præcipuè olei vnctione, quia est simulacrũ amoris, vt ex Dione, & Xiphilino notat Martin. de Roa lib. 1. singul. cap. 5. Inde propter nuptias Christi Domini 5
nostri cum Ecclesia inquit Dauid Psalm. 44. *Propterea vnxit te Deus oleo letitiæ præ consortibus tuis*, quia dilectu rus, & diligendus est præ omnibus, *Oleum effusum nomen tuum, ideò adolescentulæ dilexerunt te.* Vnde misterio Iacob lapidem, quem super posuerat capiti suo, erexit in titulũ fundens oleum desuper, non adorans lapidem, sed edificans domum, & templum Deo, vt Diuus Augustinus de ciuitat. Dei lib. 16. *Non more idolatriæ lapidem perfudit oleo Iacob, velut faciens illum Deum, neque enim adorauit eundem lapidem, vel ei sacrificauit, sed quoniam Christi nomen à chrismate est, id est ab vnctione.* At verò cæci Ethnici mendacij spiritu ipsos lapides, postes, fores, & limina pro

Dijs

Dijs adorabant, vt inquit Clemens Alexand. Strom.lib. 7. *Ij autem ipſi omne lignum, & omnem lapidem pinguem, vt dicitur, adorantes*, & Arnobius lib.1. *ſi quando conſpexeram lubricatum lapidem, & ex oliui vngine odoratum, tanquam ineſſet vis, præſens adulabar, affabar.* Ideò quia liminibus, & foribus Genios, atque Antelios ineſſe credebant oleo vngebant adulterantes, ac prophanantes ritus ſacros, quibus Pontifices, & Sacerdotes, tabernaculũ, calices Phialæ, cæteraque vaſa ſacrificijs veri Dei, deſeruientia conſecrantur, c.1. de ſacra vnctione, ideò exclamat contra populum ſuum, per Ezechielem teſte Martin.de Roa de die natal.cap.9. *Oleum meum, & thimiama meum poſuiſti coram eis*, & ibi, *Oleum, & mel, quibus enutriui te poſuiſti in*
6 *conſpectu eorum in odorem ſuauitatis.* Gentiũ denique vxores vngebant oleo fores, limina, & poſtes domus mariti, duplici motu: Primò, quod Genij, Lares, ſeu Antelij anuerent iungerentque vinculo amoris cum marito. Scaligerus.

Vota cadunt vtinam ſtrepitantibus aduolet alis
Flauaque coniugio vincula portet amor.

Ideò vt amore Iuno alliceret Iouem ſe vnxit, vt canit Homerus.

Ambroſia primum prædulci corpore ſordes
Abluit: inde cutem niueam peploque pervnxit
Diuino: fuerat illi quod fortè ſacratum,
Cuius odor moti venit Iouis atria firma.

Secundò quod oleum fundere ſuper lapidem eſt, quaſi conſecrare, & in titulum, & diuinam domum erigere, ac tutamen, & refugium ſanctum, ſiue in clypeum, inde imago clypeus dicitur, vt ex Cornelio Tacito lib.2.nu.166. ibi: *Cum cenſeretur clypeus auro, & magnitudine inſignis inter auctores eloquentiæ*, & ex Liuio, & Ioſepho exornat Iuſtus Lipſius. * Nec tamen ſemper (ait) hi clypei cum effigie ſæpè ſine ea cum nudo nomine ponentis, & cui ponebanne-

Universidad Carlos III de Madrid. Biblioteca

nebantur, siue etiam cum ponendi causa, nec vero publicè, solum hos clypeos, sed & priuatim sibi quisque ponebat, Plinius * suorũ vero clypeos in sacro, vel publico priuatim dicare primus instituit Ap. Claudius, qui Consul cum seruilio fuit anno vrbis CCLIX. & quæ sequuntur, reperioque (inquit) Lipsius exemplum clypei priuati in lapide veteri, &c. *.

Ego autem passim reperio in vrbe in superbis liminibus, adytisque cellulis à clientibus affixa clypea, hoc est imaginis Patroni, seu effigiem corporis eius, siue nobilitatis insigne, armorum nempè. O gratum officium! si vtilissimum reip. nescio. Vtebantur enim, & vtuntur huiusmodi imaginum, seu clypeorum Patroni, & Mecenatis collocatione, non beneficij accepti gratâ memoriâ, sed recipiendi ambitione ingrata (nam ait Cornel. Tacit. lib. 4. ann. beneficia eò vsque læta sunt, dum videntur exolui posse, vbi multum ante venire, pro gratia odium redditur: non virtutum religiosa emulatione, sed fortunæ, & fœlicitati illius inuidiosa, & auidissima adulatione: indeque semper secum habitare cupiunt, vt inquit Tacitus ann. lib. 4. num. 41. de suscipientibus, seu offerentibus vota publica pro Nerone, & Druso, *Non tam charitate iuuenum, quam adulatione, quæ moribus corruptis, perinde anceps si nulla*, & vbi, *nimia est*. Tutaminis ergo ausilij, amoris, & amicitiæ, ac societatis perpetuæ simulacro vxores postes domus mariti vittis alligare, & oleo vngere dicitur in titulum, siue in clypeum erigentes illam domum, quasi Ecclesiam, & templum suorum Deorum geniorum, siue larium, à quibus tuerentur, omniaque impetrarentur. Hincque vxor socia diuinæ domus appellari videtur: hincque etiam nullum de domo sua, in ius vocare licere, quia domus tutissimum cuique refugium, atque receptaculum, clypeusque nuptijs consecratus, tanquam diuina domus, & templum Deorum

Geniorum, siue Larium, & quia in domo pater famil. habet imperij primorem, & quasi in suo territorio est, l. plerique. 18 ff. de in ius voc. l. 2. ff. eod. l. 4. §. prætor de damn. infect. hinc l. 12. tabul. *Ritus familiæ, patriæque seruanto, hinc sacra priuata perpetuò manento*, hinc etiam lege Romuli cauetur *vxor farreatione viro iuncta in sacra, & bona eius venito, eius deuortendi nè esto*, ex Dionis. Lipsius de regijs leg. l. 8.

CAPVT IIII.

Confarreandi lux adfulget, conueniendique in manum mos, & Iuris consultorum apperitur lucerna, imò accenditur vento antiquitatis extincta.

SVMMARIVM.

1. *Quid sit apud Consultos* conuenire in manum.
2. *Tribus modis nuptiæ fiebant apud veteres.*
3. *Vlpianus explicatur, & exornatur, & lux datur aliis iuribus.*
4. *Sacra verba Matthæi ritu ciuili nuptiarum exponuntur.*
5. *Post desponsationem in manum conueniebant, id est ducebatur vxor in domum mariti.*
6. *Quarè filius fam. in sacris dicitur esse, id est in potestate.*
7. *Text. in l. 1. § 2. ff. de agn. & lib. explanatur, & alia iura.*
8. *Quo pacto esus fructus imaginis constitui posset ad intelligentiam text. in l. 41. ff. de vsu fruct.*
9. *Imperium vxoris in domo non est simpliciter, sed secundum quid.*

Que-

Universidad Carlos III de Madrid. Biblioteca

10. *Quæstio vtrùm donatio valeret, antequam vxor duceretur in domum mariti, vbi difficillima iura eluc scùt.*
11. *Maritus nuptijs forum non sortitur. Nouè explicatur text. in l. 1. §. domum, de liber. agnos. & l. 2. titulo 24. Partit. 4.*

FArre (denique) *conuenitùr in manùm certis verbis, & testibus præsentibus* (inquit Vlpian. tit. 9. in frag.) *& solemni sacrificio facto, in quo panis quoque farreus adhibetur.* Vnde Cujacius Tribonianismum appellat, dicere in matrimonium conuenire, seu conuenire, pro in manum conuenire, sed vtraque lectio non est à Iure consultis aliena, vt ex sequentibus fulgebit notis, & l. vxorem de ritu nupt. l. ex parte, §. 1. de verbor. obligat. l. si concubina. de rerum amotar. Tribus modis (asserit Lipsius Tacit. Ann. lib. 4. num. 37. ex Seruij fragmẽtis) apud veteres nuptiæ fiebant, vsu, si verbi gratia, mulier anno vno cum viro, licèt sine legibus, fuisset. Farre cùm per Pontificem Maxim. Dialem Flaminem per fruges, & molam salsam coniungebantur (hinc apud Tacitum supra num. 38. dicitur Flaminica Dialis sacrorum causa in potestate viri, ideſt vxor farreatione viro iuncta) vnde confarreatio appellatur, ex quibus patrimi, & matrimi nascebantur (inde necessum erat, non solum flaminem nasci confarreatis parentibus, sed & ipsum cum flaminica iungi, ideſt farre) Coemptione verò, atque in manu conuentione, cùm illa in filiæ locum, maritus in patris veniebat, vt siquis prior fuisset defunctus, locum hæreditatis iustum alteri faceret. Hinc intelligitur Cicero 2. de orator. & pro Murena dicens: *Mirandum non est, qui quibus vrbis coempt o fiat, nesciat eundem eius mulieris, quæ coemptionem fecerit causam posse defendere*, & alibi, *putarunt omnes muli res, quæ coemptionem facerent Caias vocari.* Domum enim introducens vxor dicebat, vbi tu Caius, ego Caia, ideſt vbi tu dominus

1

2

minus, ego domina quia Caius Cecilius, & Caia Cecilia obseruantissimi fuerunt coniuges, ad quod eleganter alludit Iustinianus noster Nouell. 74. c. 4. his verbis. *Quia vir vocabat dominam cohærentem, & ista illũ similiter nominabat, & sic eis fingunt matrimonia.* Hinc domina sanctissima dicebatur, vxor apud Scebolam, & iterum, ita legatum est, *Sempronia domina mea*, ideſt vxori, l. Titia. 19. §. 1. de ann. legat. l. vltim. ff. de auro, & argent. legat. l. 38. §. 4. l. 41. in principio de legat. 3. l. Seio. 10. in fin. de ann. leg. & apud Diuum Hieronymum contra Iobianum, velanda domina est, ideſt vxor, & in Sacra pagina, Geneſ. capit. 18. dicitur: *Dominus meus vetulus est*, ideſt vir. Hinc Romuli lege cauebatur, teſte Halicarnaſeo libro 2. folio 95. *Mulier nupta, quæ ex ſacris legibus cum viro conuenit, fortunarum, & ſacrorum ſocia illi eſto*, vtque domus ille dominus, ita & illa domina, Cujac. 3. obſ. cap. 18. Forner. 1. Select. cap. 11. Oſſuald. lib. 13. cap. 18. Litt. H. vnde Roſinus lib. 5. cap. 37. ait. * Mulier in manu mancipioque mariti erat: fiebat ſuaque illi hæres, vir autem non in manu, ideſt poteſtate vxoris erat, ſed quod coemptus erat, id ei ſui hæredis ius tribuebat, & viro erat mulier loco filiæ, & ſi mater familias, * Briſon. lib. ſingul. de ritu nup. Lipſius antiquar lect. cap. 22. Mutua enim fœderis nuptialis emptione ſocietas initiebatur, ideoque coemptio dicebatur, & tanquam adoptiuam filiam vxorem efficiebat. Ita
3 intelligendus eſt Vlpianus tit. 22. dicens: *Sui hæredes inſtituendi ſunt, vel exheredandi, &c. tam naturales, quàm adoptiui, item vxor, quæ in manu eſt, & nurus, quæ in manu eſt filij quẽ in poteſtate habemus*, & aſſerens, titul. 29. dandam eſſe Patrono bonorum poſſeſſionem contra tabulas teſtamenti liberti, inquit. *Niſi libertus aliquem ex naturalibus liberis ſucceſſorem ſibi relinquat, ſiue inteſtato decedat, & vxorem forte in manum* (hoc eſt coemptione iunctam) *vel adoptiuum filium relinquat.* Hinc lux donatur Iurecõ-

ſul-

Universidad Carlos III de Madrid. Biblioteca

sultis in l. ea quæ desponsa. 32. l. filij. 22. §. vidua, ff. ad municipalem, l. exigere in fin. ff. de iudicijs, l. 37. in fin. l. fin. §. 1. ff. eod. ad munic. quia teste Corn. Tacit. lib. 4. ann. num. 37. confarreationis, & coemptionis antiquitatem redolent, quæ penes in curiam virorum, fœminarumque, & cæremoniæ ipsius difficultates tẽpore Tiberij, vt ipse apud Tacitum rescripsit, ferè omissa erat, aut inter paucos retenta. Quid enim est aliud dextræ (inquit Seruius, & refert Lipsius supra) quam in manum conuenire (quæ conuentio eo ritu perficitur, vt aqua, & igni adhibitis duobus maximis elemẽtis natura cõiuncta habeatur: quæ res ad farreatas nuptias pertinet, quibus flaminem, & flaminicam iure Pontificio in matrimonium necesse erat conuenire. Vnde exugo non fuisse à Iureconsultis alienum dicere in matrimonium conuenire, seu conuenit, pro in manum conuenire: & cum timore, & reuerentia intelligere sacrosancta verba Matthæi capit. 1. fas est, & ius est, ibi *Cum esset desponsata mater eius Maria Ioseph antequam conuenirent inuẽta est in vtero habens de Spiritu sancto*, ideſt antequam conuenirent in manum, siue antequam in domum Ioseph deducta esset sanctissima Virgo ex arg. antiquitatis à Cornel. Tacit. lib. 4. ann. num. 37. omnis enim ciuilis scientia, atque elegans, iuridicaque Grammatica purissimè deseruit illi verbo, *Conuenirent*, quia *nuptias non concubitus sed consensus facit*, l. nuptias de regul. iur. docet Vlpianus, & fidelior magister D. Ambros. capit. 6. de inst. virg. *Non defloratio virginitatis facit coniugium, sed pactio coniugalis*. Et post pactionem, seu despõsationem in manũ conueniebant, ideſt ducebatur mulier in domum mariti, *Vxores enim Dij habent* (inquit Arnobius lib. 4.) *atque in cõiugalia fœdera cõditionibus veniũt ante quæsitis, vsu, farreo coemptione genialis lectuli sacramenta conducunt. In omnibus* enim *sacris, nil religiosius cõfarreationis vinculo erat*, inquit Plin. lib. 18. c. 2. Rosin. lib. 5. c. 37. hinc *Vxor farreatione viro*

iun-

iuncta in sacra, & bona eius venito, siue *rei humanæ, atque diuinæ domus susciptur*. Sacrorum enim societas dominã rei humanæ eam fecit, l. 1. ff. de act. rerum amotar. l. 52. ff. de re iudicat. Ideò etiam filius dum in sacris paternis est, quasi dominus existimatur, l. in suis de liber. & posthum. & propter ritus familiæ, domusque Lares, & auspitia nuptiarum, dicitur in sacris esse, & à sacris dimitti, id est à manu, seu â potestate patris familias, quoniam societas principatum dedit, & prima societas in ipso coniugio est, proxima in liberis, Plin. d. lib. 21. capit. 8. Cicer. 1. officior. & ita socia est vxor, vt functo marito, vidua dicatur, quasi valde idua, id est valde diuisa (iduare enim Hætrusca linga diuidere est, inde idus dies, qui mensem diuidit, dicitur Macrob. lib. 1. Saturnal.) sunt enim duo in carne vna, inde eidem Parochiæ subest vxor, cui maritus, eadem illi reuerentia debetur, quæ viro, & iniuria illi facta quoque marito existimatur. Hinc Lar vtrique collocabatur nuptijs sacris prædictis introeundo domum mariti, vt inquit Euclius in Aululatia, *Tusculũ & hasce coronas emi floreas, hæc imponentur in foco nostro Lari, vt fortunatas faciat natæ nuptias*. Vbi maritus enim Lares habebat, id est domesticos Deos paternos, vel auitos ibi ducebatur vxor, & con-
6 stituebatur domus, ac collocabatur Lar, quasi clypeus vtriusque coniugis, l. 38. ff. de reivindicat. l. 49. C. de Episcop & Cler. nuptiarum enim ritibus prædictis dedicabatur domus patris familias, velut templum Larium, & Geniorum, Tertullianus in Apolog. *ædes suas Dij tuerentur, & imagines*, vnde Iuris consultus inquit, *domum accipere debemus hospitium si in ciuitate maneat, quod si non sit, sed in villa, vel in municipio, illic vbi Larem matrimonio collocarent* l. 1. §. 2. ff. de agnoscen. & al. lib. l. 4. §. prætor. de damn. infect. l. 1. §. 2. ff. de aleatoribus, l. 1. §. 9. de his qui deiicer. l. 5. §. 2. de iniurijs, ad quod alludit Catilina, apud Salustium. *Illos binas, aut amplios domos continuare, nobis Larem*

fa-

familiarem nusquam esse? apponere enim solebant in porticu, & larario, spectabilique domus loco imagines, & simulacra Larium, & Geniorum, vt insinuat Lampridius de Alexandro, *Alexandrum* (inquit) *seuerum in larario rem horis matutinis diuinam facitasse ad effigies Deorum, in quibus habebat Apolonium, Orpheum, Abrahamum, & Christum.* (O bone Deus Christe, tu solus verè Genius redemptor meus, in quo omnes viuimus mouemur, & sumus) similiter quisq; pater familias Laribus suis, & Genijs, Dijsque priuatis sacrificabat, simul & vxor socia illius, & liberi in eadem societate, seu potestate, siue ex eo in eisdem sacris constituti, ideoque ibi erat domus, seu Lar: annuit Plautus in aululariæ Prologo. *Ea mihi quotidie, aut thure, aut vino, aut aliquo semper supplicat.* Ita vt etiam in larario priuato imaginibus larium, & geniorum offerebantur mensuræ, & stolæ, & alia dona ab amicis, & cõciuibus patris familias, & die dedicationis Laris, & Genij sportulas epulum, & oleum dari probat Mattinus de Roa de die natali cap. 17. text. sic intelligitur in l. 41. ff. de vsufruct. quid igitur mirum? quod constitui posset imaginis, & statuæ vsusfructus. Ideò vxor deducta in domum mariti sacris in sacra eius veniebat, & bona: & ita societas initiata, vt vbi ille dominus, illa domina: vnde claues domus illi tradebantur, & in diuortio adimebantur, Cicero Philip. 2. *Ille suas res sibi habere iussit, claues ademit foresque exegit.* Idem ait D. Ambros. epist. 65. & Gotifred. in l. 2. ff. de diuortijs, licet imperium vxor habeat non simpliciter, sed secundum quid, vt docet Diuus Thomas explicans Philosophum 1. Polit. capit. 1. & 3. & 5. cùm ipsa sit subiecta viro, etsi aliter accidat, est inordinatio, & corruptio domus. Inde nisi inita societate per ductionem in domum, donatio inter coniuges valebat, text. est in l. cùm in te 6. C. de donat. ante nupt. ibi *In tua domo*, & ibi, *quod si penes se dedit sponsus retrahi possit, vxor enim fuisti.* &

8

9

10

text-

textus difficilis in l.66 §.penult. ff. de donation. inter virum,& vxor. in principio,& §. 1. ibi cum in separata diæta ab eo esset die nuptiarum, ideſt cum non solum dięta, non esset mariti, sed separata esset ab eius domo: diæta enim est domuncula, seu habitatio voluptaria in hortis, l.43. §. 1. de legat. 1. & l. vxorem, §. 1. de leg. 3. l. 13. in fin. ff. de vsufructu, ex Plinio, & alijs insinuat Gotifredus. Sed Scebola inquit in d.l.66. in principio, nihil attinere domum deductam fuisse sponsam, ad hoc vt donatio facta intelligatur, sed solum consensum inspici, quo matrimonium contrahitur: cui difficultati satisfieri videtur, quia nuptiæ, etiã sine nuptijs fiebant, ideſt sine ritibus, & sacris prædictis, aut paupertate omissis, aut voluntate contrahentium, nec illegitimæ nuptiæ erant, vt probat Iureconsultus Caius inst. tit. 4 §. 1. his verbis, *Legitimæ sunt nuptiæ si Romanus Romanam nuptijs interuentionibus, vel consensu ducat vxorem.* Ita sentit Ossualdus: sed hoc ego intelligo tempore mediæ iurisprudentiæ, quo ferè omissa erat coemptionis, & confarreandi adsuetudo (vt refert Tiberius Cæsar, apud Cornel. Tacitum lib. 4. annal.) propter incuriam virorum fœminarumque, & ipsius cæremoniæ difficultates, & sic inter paucos retenta: inde solum consensum inspici, quo matrimonium contrahitur dixit Scebola, & sic rectè inferebatur, deducta in domum mariti sponsa est: ergo donatio non valet: licèt non inferatur, deducta non est: ergo valet donatio: quia consensu solo, potest esse vxor, licèt autem sine his legitimis, aut more introductis ritibus legitimum matrimonium non videretur, non requirebantur decreto irritante, sed tantum voluntas propria, & parentum, ita intelligitur textus in capit. 1. cum sequent. 30. quæst. 5. cum alijs: ita est intelligendus textus in d. lege cum in te, illis verbis, & in *Ambiguum posit venire*, sed ambiguitatem omnem auferebat, inter matrimonium, & cõcubinatum deductio illa solemnis in domum,

veluti

Universidad Carlos III de Madrid. Biblioteca

veluti,apud nos cùm vxor ducitur in faciem Eccleſiæ, in templumque Domini velanda.

Domus denique intelligitur,ad quam duceretur vxor, 1
ſiue ibi maritus precario eſſet,ſiue vſu,ſiue habitatione, ſiue conductione,ſiue etiam hoſpitij,ſiue gratia,ſiue mercede:nam ſi vt ſæpè ſæpius contingit,incola alicuius opidi in aliud profectus,tanquam hoſpes ducat vxorem,vbi vxor eſt,non ex eo,ibi domiciliarius efficitur,quia tunc domus hoſpitij,vbi *Larem matrimonio collocant*,ſubſtituitur,& ſubrogatur pro domo,vbi maritus *Larem,rerumque, ac fortunarum ſummam conſtituit*,quẽ neceſſariò ſequitur vxor velut conditionẽ capitis ſui, mutuans ab eo honorem,genus,forum,domicilium:ita eſt interprerandus textus (omiſſa gloſſographorum intelligentia,& Alphonſi Narbonæ in l.20.tit.1.lib.4.Recopilat.gloſſ.2. num.176.) in l.1. §.domum, ff.de liber.agnoſc,iuncta l.ciues.7.& l. mulieres.9.C.de incolis lib.10.&C.Theodoſiano,eodem titulo,& ſic intelligendi ſunt textus in l.5.ff.de ritu nuptiar.l.pen.ff.de iuriſd.omnium iud.l.exigere dotem.65.ff. de iudicijs,l.cęteris 4.§.1.ff.de vſu &habit.d.l.cum in te, C.de don.ante nupt.& notat Seruius ex Virg.3.Æneid.

Vt Patrio Andromaches,iterum ceſſiſſe marito.

Si verò maritus in domo ſocri, ſiue vxoris,nuptias ſine nuptijs contrahat,non hoſpitio,ſed ibi peregrinari deſiſtens domicilium defigat,domiciliarius efficitur,non tanquam maritus, ſed tanquam incola,veluti,ſi in alio loco Larem rerum ſuarum defixiſſet: ita eſt interpretandus textus in l.ſi in patria.10.C.de incolis lib.10.& rectè Narbona ſupra. Tot enim Lares, ſeu domus intelliguntur, quot patres familias,quamuis ſub vno tecto degant.

Ex quibus patet,quòd lex partitæ,2.tit.24.p.4.non ſimpliciter intelligenda eſt,ibi:*La quinta por caſamiento*,quia nõ ſicut vxor,ita maritus nuptijs forũ ſortitur,nec quãdo ciuis cũ ſua conciue contrahit,forum de nouo adquiritur

Universidad Carlos III de Madrid. Biblioteca

loquitur autem sapiens Hispanus de vnione sociabili, *Naturaleza tanto quiere dezir como debdo, que han los bomes vnos con otros, por alguna derecha razon en se amar, è ense querer bien.* Nil enim aliud est, nisi vnio ex natura sociabili hominum dimanans multipliciter, teste Philosopho 1. Politic. cap. 1. quia necesse est conbinare illos, qui non possunt esse, nisi simul, veluti mas, & fœmina generationis causa, & Rex, & subditus: dominus, & seruus imperij, & obsequij harmonia, Hierarchiaque humana: magister, & discipulus, doctrinæ, & virtutis splendore: pater, & filius naturæ necessitudine: patronus, & libertus gratitudinis humanitate: & conciues societatis vinculo, &c. & sic soluitur difficultas, in qua ambegit ibi Gregorius Lopez doctissimus vir. num. 9.

CAPVT V.

Ratio matrimonij, ac legitimationis, & illegitimationis filiorum discriminis. Vnde quæstio dispensationis in radice, & aliæ difficillimæ, ac vtilissimæ lucem capiunt, & iura.

SVMMARIVM.

1. *Ratio & origo matrimonij, ac discriminis legitimationis, & illegitimationis filiorum.*
2. *Iure gentium tria filiorum genera esse cœperunt.*
3. *Illegitimi varijs modis ad ius legitimum feruntur.*
4. *Qui sint filij nothi, spurij, & naturales.*
5. *Text. in cap. 2. 33 dist. & cap. 4. 34. dist. explicatur.*
6. *Vxor absque nuptijs, seu ritibus, etiam de iure ciuili legitima erat, & legitimi ex ea progeniti.*

Quan-

Universidad Carlos III de Madrid. Biblioteca

7. *Quando erat illegitimum matrimonium, iniusta vxor, iniustique liberi.*
8. *Plurium sententia lacertosè impugnatur.*
9. *Matrimonium ratum erat, etiam absque cõsensu patris.*
10. *Text. in cap. fin. de clandest. desponſ. enodatur.*
11. *Matrimonij inhibitio distinguitur, vtrùm ex naturali, an ciuili ratione oriatur.*
12. *Text. in l. 13. in princip. ff. ad leg. Iul. de adulter. expenditur.*
13. *Nuptiæ contra inhibitionem legis Iuliæ, & Papiæ, irritæ erant.*
14. *Quarè, & quando iniustæ nuptiæ ipso iure iustæ fiebant.*
15. *Quarè iustæ nuptiæ in irritas, & iniustas reduci nequibant.*
16. *Text. in l. 44. § planè, ff. de ritu nuptiar. expenditur.*
17. *Quarè Romani matrimonium diuortio solui putabant.*
18. *Diuortium non ex voluntate sola pendebat, sed ex lege.*
19. *Verba legis Iuliæ in d. l. 44. explicantur.*
20. *Text. in l. eos. 65. § 1. ff. de ritu nupt. & in l. 6. C. de nupt. & in l. 11. ff. de statu homin. peculiari indole exornantur, & exponuntur.*
21. *Virtuali patris assensu posse fieri nuptias iustas, ac filios, de iure ciuili noué inducitur.*
22. *Discrimen vtrùm inhibitio tollatur ipso iure, casuue, an facto Principis, quo difficillima iura enodantur.*
23. *In conditionibus verba verè, & propriè sunt intelligenda, & sic verus filius.*
24. *Conditio si sine filijs legitimis, quarè non euanescit filio legitimato, regulariter.*
25. *Text. in l. fin. ff. de iure delib. & in l. 17. §. 4. ad Trebel. & in l. 77. §. volo. de leg. 2. interpretantur.*
26. *Papinianus nõ potuit subintelligere nepotem, nisi legitimum ex filio legitimo in l. cum auus: Iustinianus, autem potuit ex filio naturali.*

Universidad Carlos III de Madrid. Biblioteca

27. *Quarè filiorum appellatione non comprehendãtur illegitimi, nec iure communi gaudeant nobilitatis honore.*

28. *Quæstio difficilis, vtrùm libertina conditio resistat nobilitati paternæ.*

29. *Text. in l. 4. §. 2. cum sequent. ff. de gradibus. inducitur argumento.*

30. *Quarè filij in deportatione susceptí non faciant deficere conditionem* si sine liberis, *& defenditur littera contra Anton. Fabr. & matrimonium non fieri deportatione illegitimum, nec filios iniustos nasci, sed legitimos, contra D. Amayam.*

31. *Arguitur contra Thom. Sanchez.*

32. *Manumisio inducit qualitatem contrariam nobilitati.*

33. *Qualitate insita ossibus, etiam remota causa remanet effectus.*

34. *Altero argumento arguitur contra Thom. Sanchez.*

35. *Thomas Sanchez defenditur de iure nouellarum Iustinian.*

36. *Regula Labeonis, cum Trebatio, Iaboleno, & Vlpiano iterum ventilatur.*

37. *In primogenio instituto à fœmina vocatam censeri fœminam, etiam si verba videantur excludere.*

38. *Linea semel occupata continuatur.*

39. *Vera sub distinctio Martæ.*

40. *Ex vi natura simul, & legis induxit Papinianus coniecturam in d. l. cum auus: alioquin non posset.*

41. *Qui admittuntur ad successionem matris, eum, qui matri substitutus est, excludent.*

42. *Text. in cap. fin. 17. q. 4. elucidatur.*

43. *Quarè filij Clericorum non faciant deficere conditionem* si sine liberis.

44. *Intriglioli sententia reijcitur.*

Om.

45. *Omnes filij, qui admittuntur ad successionẽ matris excludunt substitutum eius, & vocati à l. 9. Tauri.*
46. *Quando non sunt exclusi à lege, ingressum expetit coniectura voluntatis.*
47. *Quarè ex nefarijs nuptijs progeniti excluduntur à lege, & à coniectura voluntatis.*
48. *Nefariæ nuptiæ etiam ex collateralibus dicuntur, & quarè contra fas, & ius naturæ sint.*
49. *Nuptias cum consanguineis, & affinibus inire, esse nefas contra ius naturale, neruosè defenditur.*
50. *Exemplis veteris testamenti satisfit.*
51. *Ratio ipsa naturalis iure diuino explicita est.*
52. *Summus Sacerdos, qui vice fungitur Dei, interpretari, & exponere potest ius sacrosanctum naturæ.*
53. *Quæstio difficillima, vtrùm ex dispensatione in radice matrimonij filij antea geniti sint legitimi quoad temporalia.*
54. *Doctores negatiuæ sententiæ, & affirmatiuæ.*
55. *Auctor negatiuæ asecla est, singulariter intacta imoculta vtriusque gladij potestate.*
56. *Primum fundamentum.*
57. *Legitimati ex facto Principis non sunt verè legitimi.*
58. *Voluntas Principis est causa extrinseca, & violenta.*
59. *Matrimonium tunc non potest esse causa efficiens legitimationis.*
60. *Text. in cap. tanta, qui fil. sint leg. interpretatur.*
61. *Secundum fundamentum.*
62. *Replicationi satisfit ex l. 57. §. 1. ff. de ritu nupt.*
63. *Tertium fundamentum.*
64. *Ratio fundamentalis contrariæ sententiæ.*
65. *Corroboratur ex Marte Auctoris primò, secundò, & tertiò, iuncto etiam text. in c. peruenerabilem.*
66. *Negatiua adhuc defenditur, etiam si inhibitio esset de iure positiuo.*

Text.

Universidad Carlos III de Madrid. Biblioteca

67. *Text. in Clem. vnic. de immun. Eccles. eluceſcit.*
68. *Illegitimationis nota non irrogatur immediatè ab inhibitione.*
69. *Ex matrimonio natus, nulla lege reclamante eſt legitimus.*
70. *Text. in cap. 14. de filijs presbyter. explicatur.*
71. *Ratio quare matrimonium conſumatum, nec profeſſione diſſolui poſsit.*
72. *Diſpenſatio Principis ſera eſt, ſi tempore habili legitimationem non influat.*
73. *Textui in d. cap. tanta iterum ſatisfit.*
74. *Progeniti ex nuptijs prohibitis naſcuntur illegitimi, remota ſpe legitimationis.*
75. *Sententia negatiua illuſtratur argumento à ſimili.*
76. *Applicatio argumenti.*
77. *Princeps, nec per conſequentiam derogat iuri tertij.*
78. *In diſpenſatione in radice non vtitur S. Pontifex, niſi iuriſdictione ſpirituali: quod eſt quartum fundamentum auctoris.*
79. *Quintum fundamentum.*
80. *Sextum fundamentum ex d. cap. per venerabilem, & argumentis illius text. reſpondetur.*
81. *Limitatur ſententia negatiua ſi inſtet finis ſupernaturalis, nec derogetur iuri Principis temporalis.*
82. *Inductioni ex iure patronatus reſpondetur.*
83. *Argumentatio ex eo, quod ex bona fide, ſeu ſententia iudicis, quis fiat legitimus euaneſcit.*

1 NOn enim fuit in principio (inquit Iuſtinian. Nouella. 89. cap. 1. & 9.) quando natura hominibus ſanciebat ſola, antequam ſcriptæ procederent leges, quædam differentia naturalis, atque legitimi: ſed primis parentibus primi filij (ſicut præſentem incohantes diximus legem) etiam ipſo proceſſu nati legitimi fiebant,

Universidad Carlos III de Madrid. Biblioteca

bant: & sicut in liberis, natura quidem fecit liberos omnes: bella vero seruitutem adinuenerunt: sic etiam hinc nobis natura legitimas protulit soboles: ad concupiscentiam vero facta conuersio, naturale ius ei inseruit, qua propter similibus passionibus exortis conuenit curam æqualibus inueniri, aliam quidem à prioribus, aliam vero à nobis. * Sed originem, rationem, & causam à iure gentium: infert enim Imperator à similitudine seruitutis, quę est constitutio iuris gentium, l. 4. ff. de iustitia, l. 5. de statu homin. * Bella (inquit d. Nouella. 89. d. cap. 2.) & lites, atque libidines, & concupiscentiæ causam deposuerunt ad aliud schema: seruitutem namque inuenit bellum: naturales autem castitatis casus: lex autem rursus huiusmodi delicta curans, &c. * Natura siquidem ab initio, idest incorrupta, iuri, & imperio deseruiens rationis, sicut liberos omnes, & ingenuos, similiter produceret & legitimos, quia nulli, nisi ex rationabili coniunctione, quæ verè esset legitima, hoc est matrimonio de iure naturæ contracto procrearentur: inde nulla iniusta vxor reperiretur, nulli iniusti liberi, nec illegitimi, nec esset nota legitimatio, cum illegitimatio esset incognita: nec discrimen inter vxorem, & concubinam, cum nulla esset maris, & fœminæ coniunctio, apud homines, absque matrimonio: & ita intelligo dicterium Conani lib. 2. comm. capit. 16. num. 3. Salz. de repræs. lib. 2. capit. 14. num. 3. vbi ex iusta vxore, & concubina liberos suscipientes, iure naturæ adæquat, & assertor eius, aliter enim errorem redoleret. Postquam vero corruptio naturæ gyrum rationis inuasit, & omnis quipè caro corruperat viam suam matrimonij scilicet; instante remedio concupiscentiæ naturæ corruptę, ratiocinatio legis legitimas protulit soboles, & illegitimas repudiauit, vt scitè iterum dixit Iustinian. Nouella. 74. in fine. *Quæ igitur placuerunt nobis, & ad hominum medelam, & naturæ plenitudinem statuta sunt.* Nihil

hil enim aliud lex iusta quærit (quia concluſio rationis) niſi quod adimpleatur natura illa perfecta ab initio hominibus innata: ſed cùm nulla iam ſit natura incorrupta, *Ex lege tantum nati liberi proſunt*, dixit Paulus Iureconſult. l. qui libertinus, §. penult. ff. de oper. liber. extra legē, vel contra legem non proſunt, qua ſolus is pater eſt, quem ritus nuptiarum demonſtrat, l. 23. & 24. de ſtatu homin. l. 6. de his qui ſunt ſui, l. 5. de in ius vocan. alioquin, nec filij patrem habere intelliguntur, cùm & his pater incertus ſit, vnde ſolent ſpurij appellari à ſatione, quaſi ſine patre filij, §. ſi aduerſus init. de nuptijs, non quia non appareat, vt ex Anton. Fabro, & Oſſuald. Hilig. ſubſcribit Carranza de part. cap. 3. §. 3. num. 4. & 5. ſed quia, vt inquit Modeſtinus d. l. 23. ff. de ſtatu homin. * Poſſunt quidem, ſed eum habent, quem habere non licet, qui & ſpurij appellantur, ideſt à ſatione, * & non licet, quia propter corruptionis; & concupiſcentiæ medelam ſancitum eſt à lege diſcrimen inter filios iuſtis nuptijs procreatos, aut ex iniuſta, & irrationabili coniunctione genitos, d. Nouella 89. d. c. 1. & ſequutum eſt beneficium legitimationis. Nam cùm vno communi nomine filij iure naturæ appellarentur: iure gentium tria filiorum genera eſſe cœperunt, legitimi, & his contrarium illegitimi, & tertium genus legitimati, qui deſierũt eſſe illegitimi: de quibus, & eorum generibus, lato calamo diſſerit Paleotus in tract. de nothis, & ſpur. Legitimi ergo, aut naſcuntur, aut fiunt: naſcũtur quos ex iuſtis nuptijs procreamus: fiunt verò legitimi à lege, vel à Principe, l. 4. & 6. ff. de his qui ſunt ſui, l. 37. §. penult. ff de oper. liber. l. 27. l. 31. l. 57. §. 1. de ritu nupt. Et ita tanquam ingenui, aut libertini diſcernuntur à Iuſtiniano, d. Nouella. 89. cap. 1. §. 1. Et in hac conditione ingenuus proprie legitimus dicitur, qui ſtatim vt natus eſt, legitimus eſt (excepta ſpeciali ratione Pauli Iureconſult. in l. Paul. XI. de ſtatu homin. de qua infra.) Libertini autē pro-

Universidad Carlos III de Madrid. Biblioteca

propriè legitimati, qui ex iusta legitimatione legitimati sunt, quis igitur iurisperitus confundet legitimatos, cum legitimis? cum tam inciuile sit, quod asserere ingenuos, & libertinos non differri: & si pro negatiua, & affirmatiua contrarias familias digito demonstret Tellus Fernandez, vbi pacem immittere tentat in l. 9. Tauri à n. 15. cum sequenti, & à n. 21. Verius tamen est, quod ex d. l. 6. de his qui sunt sui, vel al. iur. definiuit nostra regia lex partitæ, 2. tit. 13. Partit. 4. ibi: *Aquellos deuen ser llamados legitimos, que nacen de padre, y madre, que son casados verdaderamente.* Et ita intelligenda sunt verba legis. 9. Tauri, ibi: *Hijo, ò descendiente legitimo.* Cæteri autem, quia illegitimi sunt beneficio indigent legitimationis, excepto legitimato vi intrinseca, & sola matrimonij, qui propriè, etiam legitimus est tanta vi, & si legitimatus appelletur, nomine tantum, effectu vero, vere legitimus est, vt in l. 12. Tauri, ibi: *El legitimado por siguiente matrimonio*, aliter enim legitimati non admittuntur vna cum legitimis, quia naturaliter, & ciuiliter inter se differunt.

Illegitimi ergo *varijs modis ad ius legitimum feruntur* (inquit Iustinianus, Nouella. 89. cap. 1. & cap. 9.) *quos enumerantes sic reliqua sanciemus, sicut enim sunt modi, qui seruos ad libertatem, simul & ad ingenuitatem deducunt, & naturæ restituunt, ita si pater nõ habuerit legitimam prolem, & voluerit eos restituere naturæ, & antiquæ ingenuitati, siue ex ingenua nascantur ei, siue ex liberta, & legitimos de cætero, & sub potestate habere: hoc agat per nostrum rescriptum.*

Fiunt legitimi primò hi, qui simpliciter naturales sunt, sine nuptijs progeniti: non quia prohibitæ sint, sed quia non celebratæ, tunc hi etiam illegitimi sunt in facie Ecclesiæ, & in facie patrimonij, & legitimatione indigent, nisi parentes consensum in facie Ecclesiæ adhibeant coniugalem, à quo pater si se abstinet, vel quia *Non sine*

Universidad Carlos III de Madrid. Biblioteca

pernata sit mulier apud eum, hoc est non sine suspitione, quòd cum alio copulauerit: vel quia eo tempore iã mortua est, vel non apparet ex qua illos progenuit, datur ei fiducia, noua quadam, & adinuenta à Iustiniano via, ad legitimorum ius perducere naturales, procul dubio, suis in talibus casibus, non existentibus filijs, Nouella 74. cap. 1. authent. quibus modis natur. effic. leg. collat. 6. & auth. quibus modis natura. effic. sui collat. 7. Nouella. 89. capit. 9. & hi admittuntur non solum ad materna bona, iure antiquo digestorum promiscuè cum legitimis, l. 1. §. 2. ff. ad Orfic. Paulus. 4. sentent. tit. 10. sed etiam iure Iustiniani nouiore, d. Nouella. 89. cap. 9. aditus eis indulgetur ad paternam successionem, non tamen promiscuè, sed in defectum legitimorum, *Damus ei fiduciam*, inquit *ad legitimum ius filios educere naturales, legitimis, sicuti prædiximus, non existentibus*: quam imperialem decisionem, pro iure nostro Regio decreuit lex. 12. Tauri.

Hi autem filij naturales, in vtilitatem supradictæ successionis, absque matrimonio, etiam legitimantur, per oblationem curiæ, per instrumenta dotalia, aut si in instrumento publico appelletur à patre filius, vel per rescriptũ Principis, vel per testamentum patris à Principe confirmatum, vt explorati iuris est in dictis auth. quibus modis natural. efficiantur legitimi, & quibus modis naturales effic. sui per vniuersa capita Nouellarum. 74. & 89. Gotifr. in d. Nouella 89. cap. vlt. litter. B. & per adoptionis etiam viam antiquitus à quibusdam Imperatoribus excogitatã, quam Iustinianus, & eius pater Iustinus explanarunt naturalibus tantum filijs, non tamen incesta, & nefaria notã progenitis, quibus pœnitus præcluditur iter ad successionem: *quia* (inquit naturalibus, tantum præbens legitimationis aditum d. Nouella. 89. cap. vlt.) *Omnis, qui ex cõplexibus, aut nefarijs, aut incestis, aut damnatis processerit, iste neque naturalis nominatur, neque alendus est parentibus*,

bus,(de æquitate Canonica,alendus est,c.4.de eo qui duxit,quam poluit per adul.) *neque habebit quoddam ad præsentem legem participium.*

Filij denique extra matrimonium nati,aut sunt nothi, 4
scilicet ex nefarijs,& incestis,damnatisque complexibus progeniti:aut sunt spurij,idest vulgò quæsiti,non ex concubina domi retenta; sed quasi ex incerto patre d.Nouella.89.cap.9.& in cap.vlt.Gotifred.quia ex ea muliere, quæ non sine peccato(vt inquit Iustinianus;idest sine suspitione alterius complexus apud eum est)naturalis non spurius dicitur:de iure enim ciuili propriè naturales dicebantur ex concubina domi retenta geniti:quia ex ea certitudo filiorum:permitebatur enim illo iure,l.item legato,§.parui,ff.de leg.3.l.cum secundis tabulis.16.§.quoniam,ff.de his quibus,vt indig.& inde inquit Vlpian.in l. item.49.§.4.de leg.3.inter vxorem,& concubinam,nihil interesse,nisi dignitate, Gotifred.ibi exornat Beued.Pined.lib.2.select.cap.18.Sarm.lib.1.select.cap.9.Rojas de succes.cap.1.Grac.reg.298.num.17. Gomez in l.9.Tauri num.1. Spino de testament.gloss.15.num.111. Menoch. de præsumpt.lib.5.præs.54.Gotifred.in d.Nouel.89.cap. vlt.Postea vnam tantùm permisit Iust.in Nouel.18.cap. 5.& d.Nouel.89.cap 12.§.5.Sed radicitus extirpauit Leo Imperator in const.91.

At verò iure Canonico (cùm detestabilior sit coi- 5
tus continuatus,& publicus,cap.fin.de consang.& affin. cap.5.in fin.de eo qui duxit, quam Pol.)exterminata est prædicta differentia inter naturales,& vulgò quæsitos, si ex ea muliere agnoscantur à patre,cum qua eo tempore posit nuptias legitimè celebrare.

Neque obstat text.in cap.2. 33.dist.ibi: *Neque eum qui vnam quidem sed concubinam,non matronam habuit.* Ibi concubinam,idest vxorem quidem,sed sine nuptijs,& dotalibus instrumentis copulatam,& ideò ad differentiam

Universidad Carlos III de Madrid. Biblioteca

illius, quæ propinquioribus ſponſatur, & legibus dotatur, & virgo ducitur, quæ ibi appellatur matrona: agitur enim de bigamia, quæ contrahitur, cùm quis duxerit corruptam, & cùm ea coierit, cap. fin. de bigamis: abſque matrimonio enim non inurit, cap. penult. eodem titulo: & inde concubina, ibi intelligitur mulier corrupta ducta conſenſu tantum maritali, abſque ritibus nuptiarum; matrona virgo, quæ ferè ſemper nuptijs ducebatur. Ideò inæqualis mulieris coniugium ſine teſtatione hoc manifeſtum faciente non præſumitur, l. 3. ff. de concubinis: virgo autem quæ matronæ nomen non amiſiſſet, ideſt virginitatem, etiam ſine nuptijs nupta cenſetur cum patrono, l. 13. in princip. ff. ad leg. Iul. de adulter. corrupta verò minimè, niſi teſtatione hoc manifeſtum faciente, l. in eo, ff. de ritu nupt. l. 3. ff. de concubinis. At verò cum teſtatione ſolo affectu maritali, ſine nuptijs erat coniux, dicebaturque concubina, text. d. ſic ilis ſic interpretandus in cap. 4. 34. diſtinct. magiſtro, & duce Graciano ibi, & in fine capitis præcedentis, *Concubina autem* (inquit) *hic ea intelligitur, quæ ceſſantibus legalibus inſtrumentis vnita eſt, & coniugali adfectu adſciſcitur, hanc coniugem facit affectus, concubinam vero lex nominat.* Et ad id concubinatum genus referendum eſt, quod ſcribit D. Auguſtin. lib. de bon. coniug. & in cap. ſolet. 32. quæſt. 2. In quibus tria hæc neceſſaria: primum, vt vterque eſſet ſolutus: ſecundum, fides mutua, & nè à procreatione filiorum abhorrerent: tertium, vt vſque ad mortem in ea vitæ coniunctione inſiſtendum, ſibi proponerent: & ſic nullum diſcrimen inter eam, & vxorem, ſed publici tantùm ritus, & ſolemnitates, quas omitti poſſe teſtatur Modeſtinus in l. 24. ff. de ritu nupt. illis verbis. *In liberæ mulieris conſuetudine non concubinatus, ſed nuptiæ intelligendæ ſunt, ſi non corpore quæſtum fecerit.* Idem Marcianus in l. 3. ff. de concubin. Ita eſt intelligendus text. in d. l. 13. in princip. ff. ad leg. Iul. de adult.

Si

Si modo ea sit, quæ in concubinatu se dando matronæ nomen non amisit. Igitur ingenua in concubinatu retenta, vel liberta ciuis Romana, quæ nomen retinet matronæ, ideſt virginalis pudoris, etiam absque nuptijs, seu ritibus nuptiarum vxor erat de iure ciuili, & legitima, & iusta vxor, & ex ea progeniti non solum naturales, sed legitimi, & iusti, sine testatione contrarium manifestum faciēte. Nec paradoxam dico; ex penetralibus enim iuris libare non difficilè; quia idem docet Iureconsultus Caius tit. 4. inst. §. 1. & Scebola in l. 66. in princip. ff. de donat. inter. & Iustinianus in auth. vt liceat matri. collat. 8. Nouella. 117. c. 1. & 2. ibi: *Ad patris etiam illos hæreditatem vocari, cum etiam ex solo affectu possit consistere matrimonium, quod similiter valere volumus, etiamsi prius quidem cum dotalibus instrumentis iungatur aliquis vxori, post illam verò alteram ducat solo nuptiali affectu.* Et Euaristus Papa, in cap. sufficiat secundùm leges. 27. quæst. 2. Solùm autem illegitimum 7
erat matrimonium, iniusta vxor, iniustique liberi, quando nuptiæ initiebantur, etiam cum nuptijs, sed contra leges inhibentes gradum cognationis, aut qualitatem contrahentium, veluti senatorum cum libertinis, aut consensum parentum in sacris expetentes, l. inceſtæ, l. nuptiæ. 53. cum sim. & l. 42. 43. 44. 59. & 66. cum sequentibus, ff. de ritu nupt. Nouella. 22. capit. 10. l. Paulus 25. ff. de statu homin. l. nuptiæ. 18. ff. de ritu nupt. etiam filius miles sine voluntate patris iustè non contraxerat matrimonium, l. 35. ff. de ritu nupt. ex ratione suitatis, iuncta l. 1. de obsequijs, & l. 10. C. de natur. lib. ibi: *Ante dotalia instrumenta, cuius matrimonium non est legibus interdictum.*

Quibus ita prænotatis, & his quæ dixi supra, non sub- 8
scribo sententiæ Angeli consilio 29. Menochij plures referentis consilio 16. numero 13. volum. 5. Petri Duenas in suis regulis iur. reg. 350. limit. 8. & Socini Iunioris

c. n-

communem dicentis consil. 52. per totam, maximè num. 4. & consil. 100. à num. 16. volum. 2. Ruin. consil. 51. num. 7. volum. 5. & plurium à Ioan. Anton. Canic. in extrauag. volétes, §. sed opere num. 5. & seq. fol. mihi. 174. & à Ioan. Lup. de illegitimis filijs, comm. 4. in præfat. num. 9. & seq. qui omnes docent filios naturales adhuc non suos, nec legitimos censeri quoad temporalia vi etiam matrimonij adhibita in cap. tanta, qui fil. sint leg. nisi subsequutis dotalibus instrumentis à iure ciuili requisitis, vt videtur ex §. fin. inst. de nuptijs. Sed iuraui in Caium Iurecons. & Scebolam: ille enim tit. 4. §. 1. instit. ait *Legitimæ sunt nuptiæ, si Romanus Romanam nuptijs interuenientibus, vel consensu ducat vxorem*: iste autem in l. 66. in princip. ff. de donat. inter. *solum consensum inspici, quo matrimonium contrahitur*: & fixo pede nittimur verbis Modestini in d. l. *in liberæ mulieris consuetudine non concubinatus, sed nuptiæ intelligendæ sunt*, & Iustiniani, qui in authent. de nuptijs coll. 4. Nouell. 22. cap. 18. *De nuptijs* (ait) *sine dotalibus instrumentis contractis, neque dote oblata, neque instrumentis dotalibus factis nuptiæ quidem sunt, licèt dotalia instrumenta non sint conscripta*, vbi Gotifred. *verius* (inquit) *probant matrimoniam quam faciunt*, & in Nouella 12. cap. 4. *Concubinatu in matrimonium conuerso liberi sui, & legitimi fiebant* l. 5. C. de natur. liber. *sed quia dotalia instrumenta, & dos est concubinatus abolitio, & nuptiarum argumentum, sufficit etiam quodcumque aliud argumentum probationis, quia ad hoc solũ requiritur*, Nouell. 117. cap. 2. & 3. Et sic intelligitur text. in d. §. fin. de nuptijs d. Nouella. 117. cap. 4. exceptis illustribus Romanis, quos ibi Iustin. voluit cum dotalibus instrumentis nuptias contrahere, & in Nouella 22. cap. 18. & cap. 3. Quid ergo ambigimus si expresse decissum est ab ipso Iustiniano, filios etiam ante dotalia instrumenta iustos, & legitimos esse, & suos patri hæredes, & filium natum, & filiam ex libera muliere, cum qua nuptiæ consiste-

sistere possunt, ex vi nominis *filij* à patre in instrumento conscripti, sine adiectione naturalis, fieri legitimum, pulchra Nouella. 12. cap. 4. & Nouella. 74. cap. 4. & Nouella. 117. cap. 2. & 3. & argum. text. in l. 44. §. 3. ibi, iustum patrem, ff. de ritu nupt. vbi Gotifred. & est textus expressus in l. 9. l. 13. C. de nuptijs, & d. Nouella. 117. cap. 4. vbi exceptis his, qui maximis dignitatibus sunt decorati *Reliquos autem omnes, cuiuslibet sint dignitatis, aut militiæ, aut studij siquidem voluerint, aut potuerint, non prohibemus eos, cum dotalibus instrumentis ducere vxores, si autem etiam hoc non custodierint, & ex solo affectu celebratas nuptias firmas esse sancimus, & ex eis natos legitimos esse filios iubemus*: iterum ibi, *Ex affectu solo duxit vxorem: tales enim nuptias ante dignitates factas, & post dignitates legitimas manere*: & ibi, *Aut dotalia fieri documenta, aut alias probationes procedere factas*, ibi Gotifred. Itaque dotalia instrumenta, non erant causa inundi matrimonium, nec filios legitimandi, sed probatio ad euitanda scandala, & præsamptionem concubinatus, præcipuè inter impares personas: Modestinus docent, & Marcianus, in d. l. in liberæ de ritu nupt. d. l. 3. de concubinis. Hinc est intelligenda decisio Leonis Papæ, in cap. non omnis. 32. quæst. 2. & textus in l. 7. C. de repudijs, ibi: *Non temere nec clanculo, sed publicè contestatione depositâ nupsisse firmatur*, & ibi Gotifred. nuptias palã fieri debere teste populo asserit, ex Apuleio. 6. nuptiæ in villa, sine testibus legitimæ non possunt videri, nisi inter æquales: intelligitur per text. in d. l. 3. de cõcubinis. Hinc apud Ethnicos nuptiarum ritus aquæ, & ignis coemptionis, & confarrationis: apud Catholicos preces, & benedictio, Tobiæ cap. 5. 7. & 8. cap. 1. 30. quæst. 5. Tertullian. 2. ad vxorem. D. Ambros. 9. epist. 70. & est ratio text. in cap. 27. de sponsal. cap. vlt. de clandest. despons. cap. fin. qui matrimon. accusar. Sed solemnitas prædicta, & ritus nuptiarum, tam à iure ciuili, quàm Canonico, absque decreto irri-

Universidad Carlos III de Madrid. Biblioteca

irritante ſtatutæ fuerant (vt de iure ciuili patet ex ſententia Pauli Iureconſult. lib. 2. ſentent. tit. 19. in princip. ibi: *Eorum qui in poteſtate patris ſunt ſine voluntate eius metrimonia iure non contrahuntur, ſed contracta non ſoluuntur: contemplatio enim publicæ vtilitatis priuatorum commodis præfertur*, & de iure Canonico, in cap. fin. de clandeſt. deſponſ. ibi *In gradu vero conceſſo*) vſque ad ſacroſanct. Tridentinam Sinodum ſeſſ. 24. cap. 1. de reformat. matrimo. antea enim fuerat lex imperfecta (veluti de Cincia dixit Vlpian. tit. 1.) quæ etſi vetet nuptias ſine prædictis ſolemnitatibus, non tamen contractas ſine ritibus reſcindit, Gotifred. in l. 25. ff. de ritu nupt. Leo tamē Imperator, etiam ante Tridentinam deciſionem matrimonia, contracta abſque ſacra benedictione, irritari decreuit in Nouella eius. 86. vnde Scholiaſtes 4. tit. 4. negat nudo conſenſu matrimonium contrahi, ita vt niſi ſacrum Dei Verbum fuerit recitatum, neque nuptiæ conſiſtant, neque prohibeantur contrahentes à ſe mutuò ſeparari: ſed non rectè dixit: diſcimus enim à Concilio ſacroſanct. Trident. ſeſſ. d. 24. cap. 1. ſolo conttahentium conſenſu rata eſſe, & vera matrimonia. At verò Imperator Leo fecit, quod non potuit, ſcilicet irritare matrimonia citra ſactam benedictionem inita, quod non cadit ſub imperiali poteſtate: & nō fecit, quod potuit, nempè ſuitatem, & legitimationem filiorum impedire, hæc enim poteſtas imperialis, ciuiliſque culminis eſt: & tolerata fuit ab Eccleſia, ante Trid. Sinodum illa lex, quæ in irritum reuocabat matrimoniū ſine conſenſu parentum contractum, ex ratione, & effectu ciuili tantum, nè ſcilicet agnaſceretur auo inuito ſuus heres, ideoque abſque eius voluntate iniuſta vxor, filijque iniuſti ex ea progeniti, l. ſi vxor, §. 1. ad leg. Iul. de adult. l. Paulus. 11. ff. de ſtatu homin. & ſi ex illo Homerico.

Non ſoli amant vxores diuerſivotorum hominum Atrida.

Aic

Ait Vlpianus, *Siuè iusta vxor fuit, siuè iniusta, accusationem instituere vir poterit, nam & Sextus Cœcilius ait, hæc lex ad omnia matrimonia pertinet*, d.l.13.d.§.1. ad leg.Iul. de adulter. licèt Cujacius 6. obseru. cap.16. ibi *iniustam* intelligat, ideſt non ductam aqua, & igne, & ritibus nuptiarum, & ſubſcribit ibi Gotifredus: ſed Vlpianus, neque alter Iureconſultus appellat iniuſtam vxorem, niſi illam, quæ ducta eſt contra interdictum iuris: abſque ritibus autem illis ducere vxorem, non eſt contra interdictum iuris ducere, & ideò nullatenus irritum fiebat huiuſmodi matrimonium, ſed verum erat, & iuſtum: iniuſtam autem appellabant illam, quæ licèt nuptijs contra interdictum tamen iuris ducebatur, veluti in gradu prohibito, vel ſine conſenſu parentum, vel à ſenatore liberta, vt dixi ex iuribus ſupra relatis.

Sed licèt prædicta lex conſenſum parentis requirens laudata fuiſſet à iure canonico: propter rationem ſuitatis liberorum ex filio in ſacris exiſtente, (& ſic emancipatus conſenſu patris minimè indigebat, l.filius.25.de ritu nupt. vbi omni eruditione differit Gotifredus littera B.) & in filia ex eo, quia non eſt virginalis pudoris eligere maritum, vt docet D.Ambroſ. lib.1.de Abraham. capit.vltim. capit. honorantur.32.quæſt.2. & ex Euripide *Sponſaliorum meorum pater meus curam ſubibit, hoc enim non eſt meum*, & vt inquit Paulus Iureconſul. *in contrahendis matrimonijs naturale ius, & pudor inſpiciendus eſt*, l.14. §.2.de ritu nuptiarum, & ex l.1.ff.de obſequijs: diſpoſitio enim legis reſpicit ciuilem rationem, non naturalem, quoties lex non aliam conſtituendi rationẽ habet, quàm ciuilem, nempè vt filius indigeat cõſenſu patris: ſecus ſi à natura conſtituendi cauſam petat, vt filia non nubat ſine conſenſu parentis Gotifr. in l.44.§.3.de ritu nupt. & ita eſt intelligendus text. in princ. inſt. de nuptijs. Ratum tamen 9

Universidad Carlos III de Madrid. Biblioteca

erat, & in filio, & in filia matrimoniũ contractum, etiam absque parentum consensu, quia ratio & causa illius prohibitionis, non ab essentialibus insurgebat, sed ab extrinseco, & accidentali; & inde nullatenus erat naturaliter, & essentialiter nullum, sed ciuiliter illegitimum, & iniustum, idest contra ius ciuile, & sic Gracianus nos docet in cap. fin. 28. quæst. 1. *Horum quædam sunt legitimæ, veluti cùm uxor à parentibus traditur, à sponso dotatur, & à Sacerdote benedicitur, hæc talia coniugia legitima, & rata appellantur, illorum uero coniugia, qui contemptis omnibus illis solemnitatibus solo affectu aliquam sibi in coniugium copulant, huiusmodi coniugium non legitimum sed ratum tantummodò esse creditur.* Itaque consultus Nicolaus Summus Pontifex, & referens solemnia legitima, relata etiam ab Euaristo, ab Isidoro, à Concilio Cartaginensi 4. & à Concilio Arelatensi, cap. 1. cap. 4. cum tribus seq. 30. quæst. 5. iuncto cap. non omnis, cum seq. 32. quæst. 2. respondet in cap. nostrates. 3. ead. 30. quæst. 5. *Hæc sunt præter alia quæ ad memoriam non occurrunt pacta coniugiorum solemniter peccatum autem esse, si hæc cuncta in nuptiarum fœdere non interueniant, non dicimus,* & inde inquit *sufficiat secundum leges solus eorum consensus, de quorum coniunctionibus agitur,* cap. sufficiat 2. 27. quæst. 2. *qui consensus si solus fortè defuerit, cætera omnia etiam cum ipso cubitu celebrata frustrãtur:* idem quod Gaius dixit *simulatæ nuptiæ nullius momenti sunt,* l. 31. de ritu nupt. l. 54. de obligat. l. 15. C. de nuptijs. Neque contrariũ rescripsit Euaristus Episcopis Africæ in d. cap. 1. ubi: *Ita peracta legitima scitote esse connubia: aliter vero præsumpta non coniugia, sed adulteria, vel contubernia vel stupra, aut fornicationes, potius, quàm legitima coniugia esse, non dubitare, nisi voluntas propria suffragauerit & vota succurrerint legitima.* Qui malè agit odit lucẽ, ideoque præsumptione contra se laborat, qui nuptiarum so-

solemnia fugit,inde dixit præsumpta non coniugia,idest præsumptione non sunt coniugia,sine publicis nuptijs:& si in veritate sint vera,& rata coniugia,sed Ecclesia non iudicat de occultis. Ideò dotalia instrumenta, & dos est concubinatus abolitio,& nuptiarum argumẽtum,& sufficit etiam quodcumque aliud argumẽtum probationis, quia adhoc solum requiritur, Gotifred.per text.in Nouel. 12.cap.4.& in Nouella.117.cap.2.& 3.& hac ratione sancta Sinodus Arelatensis statuit *Nullum sine dote fiat coniugium, iuxta possibilitatem fiat dos, nec sine publicis nuptijs quisquam nubere, vel vxorem ducere præsumat*,cap.6. 30.q. 5.idem decreuit S.Concilium Cartaginense 4.in d.cap. 5. 30.quæst.5. ad eradicandam præsumptionem,& scandala, quæ ex coniunctione clandestina oriebantur, maximè inter impares personas,vt dixit Leo Papa in cap.12. 32.quæst.2. *Non omnis mulier iuncta viro vxor est viri, quia nec omnis filius est hæres patris,nuptiarum autem fœdera inter ingenuos sunt legitima,& inter coæquales,&c.* Idem quod Consultus in l.3.de concubinis:sed hæc statuta fuerant tam à iure ciuili, quàm canonico, absque decreto irritanre,vsque ad sacrosanct.Tridentin Sinodum.

Neque obstat text. difficilis in cap fin.de clandestin. desponsi.imò potius confirmat prædictam sententiã,quia licèt in gradu prohibito, sine nuptijs publicis sit irritum, prolesque ex eo illegitima,& spuria:in gradu verò concesso matrimonium,absque nuptijs publicis initum, non irritatur, nec proles ex eo illegitima censetur,sed tantum condigna pœnitentia iniungebatur clandestinè contrahentibus. 10

Sed ad veram intelligentiam opere pretium est,animaduertere, vtrùm inhibitio matrimonij nitatur re,& ratione ciuili,an naturali,quia *Semper in coniunctionibus, non solum quid liceat considerandum est,sed & quid honestum sit*, l.42.de ritu nupt.ideoque lege Iulia,& Pappia,illa de- 11

Universidad Carlos III de Madrid. Biblioteca

cernente anno vrbis.736. ista confirmante, & augentè anno.762. in capite de maritandis ordinibus: & si ciues ad vxores ducendas, liberosque procreandos inuitaret, cautum est *Omnibus ingenuis, præter senatores, libertinam vxorem habere licere*, l.44.ff.de ritu nupt. l.filiam 9.cum sequent.ff.de senator.l.vxorem.15.l.si libertam.28. C.de nuptijs,& præter senatorum filios,& nepotes,& quos de familia retulit lex Iulia,& ex ea Paulus in d.l.44. & Modestinus in l.42. & Vlpian.lib.1.ad l.Iuliam,& Papiam in l.Palam.43.de ritu nupt. * Et cæteri autẽ ingenui (ciues Romani inter quos solos iustæ nuptiæ erant Vlpianus in frag.tit.5.& Iust. in princip.inst. de nupt. eleganter fulcit D.Amaya lib.2.obseru.cap.5.à n.14.cum sequentib.& rationem extensionis,& inhibitionis legis Iul.& Papiæ) prohibentur ducere lenam, à lenone, lenavè manumissam,& in adulterio deprehẽsam,& iudicio publico damnatam,& quæ artem ludricam fecerit: adijcit Mauricianus (qui ad legem Iuliam libros scripsit) & à senatu damnatam. * Vlpianus in fragm.tit.13. de cœlibe, & orbo, & in l.Palam,l.in eo iure,de ritu nupt. Paulus,Marcellus, Gaius Ferentius Clemens, & cæteri consulti ad leg.Iul. & Papiam rescribentes, vt patet ex toto titulo,de ritu
12 nupt. Hinc rectè infertur veram esse interpretationem prędictam ad leg.13.in principio, ff.ad leg.Iuliam de adulter. vbi licèt concubina accusari de adulterio non possit,si modò ea sit, quæ nomen matronæ non amisit (quia tunc *In liberæ mulieris consuetudine, non concubinatus. sed nuptiæ intelligendæ sunt, si non corpore quæstum fecerit*, d.l.in liberæ.24.ff.de ritu nupt.d.l.3.de concubinis) accusari potest iure mariti, maximè à patrono liberta, quia illi honestiùs erat sine nuptijs, quàm cum nuptijs libertam ducere vxorem, l.1.in principio, ff.de concubinis: & hæc est ratio dubitandi Vlpiani ibi, quoniam illa,

Universidad Carlos III de Madrid. Biblioteca

la, quæ inuito patrono potest discedere, non potest accusari iure mariti: illa autem cuius connubium præsumitur ex eo, quòd matronæ nomen non amisit, accusari potest d.l.13. quia cum nuptijs, vel sine nuptijs, non prohibetur patronus libertam ducere vxorem, Vlpian. lib.3. ad leg. Iuliã, & Papiam in l. in eo iure. 45. ff. de ritu nupt. & in l. fin. ff. de diuortijs, & lib.2. ad easdem leges, in l.1. ff. de concubinis, cum alijs relatis, & eruditione omnigena exornatis à D. Amaya lib.2. obseru. cap.5. à num. 1 & iunctis, his quæ dixi supra.

His ita cognitis, & abolito decemuirali decreto à Tri- 13
bunis plebis, summam plebi iniuriam irrogante, nè cum ea patribus connubium esset, exterminataque etiam iniuria libertinorum, quibus ab ingenuis secessus ciuilis manserat, vti ex Liuio lib.4. & 39. subtiliter libat D. Amaya supra num.17. & 18. scitur nuptias, contra inhibitionem legis Iuliæ, & Papiæ initas, nullas fuisse, (l. semper 42. ibi: *Nuptiæ non erunt*, l. oratio. 16. ibi: *Nullius esse momenti*, ff. de sponsal. iniustamque vxorem, iniustosque liberos: sed hoc ciuili ratione cautum (vti à l.8. C. de dignitatibus, deducitur, & ex ea, quam profert Amaya vbi supra num.22.) & in re, quæ potest esse, & abesse. Itaque 14
cessante ratione cessabat dispositio, & iniustæ nuptiæ, ipso iure iustæ fiebant, vxorque iusta, l. siquis. 27. ff. de ritu nuptiarum. Non tamen id rescripsit Vlpianus absque lite cum Papiniano in l. generali. 34. §. fin. ff. eod. de ritu nuptiar. & in l. 9. ff. de senatoribus: sed in specie Papiniani ratio subtilis est, quia filia, quæ cùm nascitur, filia senatoris nascitur, iam non potest desinere esse filia senatoris, maximè ab extrinseca vi: & ideò inquit Papinianus, *Nam quæsita dignitas liberis propter crimen patris auferenda non est.* Et licet in hac specie non cessauit ratio inhibitionis legis Iuliæ, & Papiæ, quæ tantùm dixit, *Neue senatoris filia, neptisve ex filio*

pro-

proneptisve ex nepote filio nato, nata. Et hanc quæstionem dirimit ipse Vlpianus ad leg. Iul. & Papiam, relatus in l. 7. ff. de Senatoribus, vbi ait, quòd sufficit patrem esse senatorem tempore conceptionis filij, vel filiæ, & si tempore natiuitatis iam motus sit à senatu; vt semper filius, vel filia senatoris intelligatur. nam quæsita iam dignitas in conceptione, propter crimen patris liberis auferenda non est. At verò propter crimen proprium suum auferenda est, l. Senatoris filia. 47. ff. de ritu nupt. ex qua etiam deducitur, quòd si filia Senatoris libertino nupsisset, si postea propter crimen suum amisisset dignitatem nominis, nuptiæ fierent iustæ, quia cessauit ratio, sicut in senatore, qui amisit dignitatem, in d. l. 27.

15 Nec difficilius est scire, quare si cùm cessat ratio inhibitionis huiusmodi, iustæ fiunt nuptiæ antea contractæ, iniustè: non tamen cum inhibitionis ratio superueniat, iniustę, & illegitimæ reddantur, quæ initio legitimæ celebratæ fuerant: cuius differentiæ rationem, non minus, quàm Vlpianum quæsijsse testatur Iustinianus in l. si libertam. 28. C. de nuptijs: & angit Rebard. lib. 4. var. cap. 16. & subtiliter expungit D. Amaya vbi supra à num. 30. Sed ratio discriminis est, quia sicut iura sanguinis nullo iure ciuili dirimi possunt, *Quia ciuilis ratio ciuilia quidem iura corrumpere potest, naturalia verò non vtique*, §. fin. instit. de leg. agn. tutel. l. eas obligationes. 8. ff. de capit. dim. ita consensus naturalis (qui est tota essentia, & natura matrimonij) cum affectu vero individuam vitæ cõsuetudinem retinendi adhibitus à solis contrahentibus, etiam nuptijs iniustis, & illegitimis, nullo iure ciuili dirimi potest, id est nulla ratione ciuili: quoniam matrimonium adhibito cõtrahentium consensu, vt dixi supra, & nulla ratione naturali impediente, ratum, & verum est matrimonium, sacrosanct. Trident. Sinod. sess. 24. cap. 1. Et sic actus ille de iure naturæ perfectus erat, & si incideret in casum à quo in-

Universidad Carlos III de Madrid. Biblioteca

incipere non posset; aduenit iam casus actui perfecto, & sic nocere ei non potest, quia vt dicunt Philosophi, *Quidquid aduenit enti in actu, aduenit enti perfecto.* Et si aliquis dixerit, in nuptijs iustis, quæ deuenirent ad casum, à quo ciuiliter incipere non possent, nihil naturale corrum pi ex eo, quòd iniustæ reddantur, insistentes suis terminis naturalibus, quibus perficerentur, impediente etiam ingressum lege illa ciuili: respondeo, quòd si accidens suo iure iubat, & perficit naturam rei, iniuria irrogatur, si rei accidens auferatur, hoc est quod dicitur *Turpius ejicitur, quàm non admittitur hospes.* & turpius est à senatu moueri, quàm nunquam senator fuisse, & sic matrimoniũ, cùm iam nomine iusto, & legitimo fuisset cõdecoratum, & vxor iusta huius dignitatis nomine exornata, & dominæ (vt dixi supra) turpius ab illo, illaque auferretur: & cum hoc quid spirituale sit, difficilius destruitur, quàm construitur, cap. inter corporalia de translatione Episcopi. Deinde quia contrahentes cõtra legem, certæ legis transgressores sunt, & sic in pœnam iniustum matrimonium, iniusta vxor in iustique liberi. At verò contrahentes secundum legem, quarè casu aduenientes, maximè à lege, non expresso, rei legis futuri sunt? Neque obstat text. in l. 44. §. planè, ff. de ritu nupt. vbi Paulus inquit, quòd si vxor (scilicet iusta) *Artem ludricam faceret cæteris, vtique dimittenda est*, & huius inhibitionis ratio etiam ciuilis est: sed maximum discrimen nuptias (propter superuenientiam casus, à quo incipere non poterant) iniustas fieri ipso iure, adhuc coniugibus, in suo consensu indiuidua vitæ consuetudinem retinendi, secundum ius naturæ insistẽtibus, aut diuortium celebrari, propter inductionem criminis, & infamiæ, obicisque legitimi ciuiliter ineundi nuptias: nõ dixit Paulus vxore artem ludricam faciente, ipso iure nuptias fieri iniustas: imò intelligens hoc etiã casu superueniente fieri non posse iniustas, quæ adhuc con-

4

16

consensu mutuo iure naturæ ratæ, & firmæ manebãt, quę siuit aliam viam (quæ ratione aliqua naturali aperiretur) puniendi vxorem, nuptias dissoluendo diuortio, quæ iniustæ iam fieri non poterant. Ratio igitur naturalis, qua motus est Paulus, hæc est, quia secundùm naturam putabant, vt quo quid colligatum esset, eodem modo solueretur, l. ab emptione. 58. de pactis, l. nihil. 35. de regul. iuris, cap. omnis ref. 4. 27. quæst. 2. ibi: *Matrimonium enim non facit coitus, sed voluntas, & ideò non soluit illud separatio corporis, sed separatio voluntatis*, Sciebant autem contrahi matrimonium consensu: ergo contrario consensu, iure solui ratiocinabantur: inde mutua voluntate, aut alterutrius ex l. 12. tabul. dissolui poterat cõiugium Cic. Phil. 2. Vnde dicitur diuortium à diuersitate mẽtium, vel quia in diuersas partes eunt, qui distrahunt matrimonium, l. 2. cum seq. ff. de diuortijs, l. penult. de adulter. l. si constante 9. C. eod. Vbesembech in titulo de diuort. num. 7. Dimittenda igitur (inquit) si nuptiæ iniustæ fieri nõ possunt: quia non licet viro ingenuo, & integræ frontis vxorem ludricam artem exercentem habere: quid ergo commune habet diuortium cum nuptijs iniustis? iniusta vxor accusari de adulterio iure mariti potest, repudiata non potest, l. si vxor, §. planè, cum §. sed etsi, ff. de adulter. repudiata vxor, si reducatur, nouo indiget consensu, & nouus contractus dicitur, d. §. sed etsi: nuptiæ tamen iniustæ iustæ fiunt ipso iure sine nouo consensu, d. l. siquis. 27. l. eos. 65. §. 1. ff. de ritu nupt. Diuortio vinculũ matrimonij soluebatur ex eo. quòd nudus contractus iurisgent. sicut emptio, & venditio, apud Consultos existimabatur, ideoque coemptione fiebat: sed in nuptijs iniustis adhuc vinculum manebat consensus naturalis, & essentialis, ratum, & firmum. Neque obstat, quod dicitur in d. l. semper. 42. ibi *Nuptiæ non erunt*, scilicet iustæ quoad ius ciuile non erunt, vel nullius momenti erunt d. l. oratio, ff. de sponsa.

Si

Universidad Carlos III de Madrid. Biblioteca

Si autem aliquis obijciat, quarè, si contrario consensu poterat maritus dimittere vxorem, necesse fuit in specie Pauli, quòd ipsa ludricam artem facere cœpisset, vt dimittenda foret: respondeo cum Iureconsulto Gaio, non omne diuortium legitimũ esse solo consensu, sed illud quod ex lege, *Si ex lege* (enim) *repudium missum non sit, mulier adhuc nupta esse videtur*, l. si ex lege pen. ff ad leg. Iul. de adulter. siue ex lege sit, vt ibi inquit Gotifred. ex legis. 12. tabul. formula explicita in l. 2. §. 1. & in l. 9. ff. de diuortijs: siue sit etiam ex lege Iulia (quod ego simul amplector) in capite de maritandis ordinibus, quæ cùm ad nuptias inuitaret premijs, & pœnis, restrinxit absolutam voluntatem dimittendi coniugem, & non nisi ex legitima, & rationabili causa diuortium celebrari decreuit: & iustas, & rationabiles causas dimittendi, & soluendi, quas legitimas non ineundi nuptias, adinuenit: inde, & non alio pacto, inquit Paulus lib. 1. ad leg. Iul. & Papiam in d. l. 44. d. §. planè, *Dimittenda erit*: & asylum sit mihi ipsius Iulij Pauli sentia, qui lib. 2. tit. 19. sentent. reddens rationem, quarè semel matrimonia contracta fine consensu patris, non soluantur (inquit fortè ex lege Iulia.) *Contẽplatio enim publicæ vtilitatis priuatorum commodis præfertur.* 18

Neque legis Iuliæ verba in d. l. 44. *Neuè quis eorum dolo malo sciens sponsam, vxoremvè eam habeto*, faciunt pro doctissimo præceptore meo D. Amaya, vbi supra num. 42. quia etsi concedamus ei, ex vi illius verbi *Ne habeto*, legem Iuliam continuationem etiam, & detentionem naturalem inhibere: non tamen, nisi pacto interposito diuortij, inhibet ex ratione illa naturali, *Nihil tam naturale est, quàm eo genere quidvè dissoluere, quo colligatum est* d. l. 35. ff. de regulis iuris, & tunc casus superueniens, velut senatoriæ dignitatis, vel infamiæ, vt in d. l. siquis. 27. & in d. §. planè, non irritat matrimonium ipso iure, nec iniustum, nec nullum reddit: sed causam tribuit ex lege, 19

Universidad Carlos III de Madrid. Biblioteca

vt posſit celebrari diuortium,& ſenator dimittere libertam, ingenuuſque ludricam artem exercentem: & tunc etiam in voluntate innocentis relinquitur, ibi *Ne habeto*, præcipitur enim,ſed ſine decreto irritante:ſciebat Auguſtus,& conſulti,quòd ciuilis ratio naturalia vincula non poſsit corrumpere:imò etiam & illa cauſa,quæ ex eadē lege Iulia legitima eſt:& nulla alia ex iure naturæ magis naturalis quàm adulterij cauſa,& tantum dimittendi eſt in voluntate innocentis relicta,non tamen irritat ipſo iure vinculum matrimonij: nec ciuili ante diuortium, vt patet ex l.2.& toto titulo,ff.ad leg.Iul.de adulter:nec canonico etiam poſt diuortium, quia *Quos Deus coniunxit homo non ſeparet*, Matth.cap.19.cap.4.& 5.de diuortijs c. 2.de coniugio leprof.cap.vltim.de conuerſ.coniug. cap. dixit dominus.32.quæſt 1.cap.ſi vxorem.32.quæſt.5. cap. 1. 32.quęſt.7.Bart.in l.rerum,num. 1.ff.de rer.amot.& ex multis Thom.Sanchez lib.2.de matrimon.diſp.2.num.3. & diſputat.13.per totam,Vbeſemb.in titulo de diuortijs num.11.

Ita etiam re,& ratione ciuili nititur Pauli deciſio in l. eos.65.§.1.ff.de ritu nupt.& in l.11.ff.de ſtatu hominũ,& Gordiani in l.6. C.de nuptijs, vt innuit Papinianus in l. 63.in princip.ff.de ritu nupt.ibi:*Cùm ratio potentatus nuptias prohibuerit*.Ita intelligenda eſt doctrina, in qua ambigit Molino lib.1.de ritu nupt.cap.12.num.4.Inde ſicut depoſito officio,ſi in eadem voluntate perſeuerant,nuptiæ fiunt iuſtæ:ita in diſpoſitione,quæ requirit conſenſum parentis,mortuo patre, vel emancipatione remoto, vel ſi adhuc in poteſtate,acceſſerit conſenſus,iuſtæ fiunt nuptiæ ipſo iure,l.nuptiæ.18.l.filius.25.de ritu nupt.& ſic intelligendus eſt text.in d.l.Paulus.11.iuncta d.l.eos.65.

At verò rationem Pauli ſubtiliter expungere oportet, quarè filius natus poſt mortem aui,ideſt iam iuſtis nuptijs,ſi tamen ex iniuſtis conceptus fuerat, iuſtus, & legitimus.

Universidad Carlos III de Madrid. Biblioteca

mus non est: cùm explorati iuris sit, sufficere liberam fuisse matrem eo tempore, quo nascitur filius, licèt ancilla conceperit, adhoc vt ingenuus nascatur, princip. inst. de ingenuis; erudite post omnes Carranza, de partu cap. 3. §. 3. à num. 7. cum seq. & similiter filius senatoris nascitur, etsi deposita dignitate, l. emancipatum. 7. ff. de senatorib. Sed dicendum est, hoc pacto etiam intelligi oportere Paulum in d. l. eos. 65. ff. de ritu nupt. ibi: *Et ideò postea liberos natos ex iusto matrimonio legitimos esse*, licet in nuptijs iniustis conceptos: & confirmatur intelligentia, Gordiani in l. 6. C. de nuptijs ibi: *Postea liberos susceptos, natosque*, & facit text. in l. 17. §. 5. ff. ad Trebellian. vbi sufficit, quòd concepti sint ante deportationem, licèt postea edãtur: nam quamuis Cõcius lib. 1. lect. 7. restituat *Conceptos*, & adstruit Gotifred. in d. l. 6. *Susceptos* tamen legitimus, & defendimus, nec filius, dùm non nascitur, suscipi videtur, & patet ex l. 88. §. Damæ de leg. 2. vbi *Susceptos* necessariò idest *Natos* intelligitur: licèt in d. l. 17. d. §. 5. ad Trebellian. pro conceptis. Paulus autem ipse in specie d. l. 11. altera subtilissima ratione motus fuit: nempè quod si moriatur pater eius, qui adhuc in vtero est, cõceptus; ante mortem aui, à quo præteritus reperitur, nascendo rumperet testamentum si iustus, & legitimus esset, cùm nascatur non præcessus ab alio, l. Gallus, §. 12. 13. & 14. ff. de liber. & posth. l. siquis filio, 6. §. sed si pater, ff. de iniusto rupt. Langebech. cap. 40. & 41. annotat. & communiter Doctores in d. l. Galius, & inciuile esset, inuito, vel ignoranti, imò & mortuo agnasci posthumum suum hæredem contra rationem text. in l. in adoptionibus l. siquis. 10. cũ seq. l. 23. in princip. ff. de adopt. l. 2. l. oratione, ff. de ritu nupt. & iniustum, & contra voluntatem aui conceptam, adhuc sine consensu adhibito, morienti agnasci legitimum, & suum hæredem: & ex regula firmata ab exceptione Claudij Triphonini in l. 12. §. 3. ff. de captiuitat. &

Universidad Carlos III de Madrid. Biblioteca

post. & ex Paulo lib. 5. sentent. titulo 29. §. 2.

Ad tamen contra est, si volenti agnascitur hæres, veluti si non præteritus, sed institutus fuerit, licèt ex iniustis nuptijs genitus, si verò postea contracto licitè matrimonio natus sit, suus hæres erit, & legitimus, text. est in l. filius à patre, §. siquis. 3. ff. de liberis & posth. Ex cuius decisione, & ex d. l. eos. 65. §. 1. ff. de ritu nupt. subscribere audeo, si auus moriens consensum præstiterit virtualem, scilicet instituendo formula Galli Aquilij posthumum illum nepotem iniustum tantùm ex defectu consensus aui, hoc mortuo, cum huiusmodi virtuali assensu, non solum nuptias fieri iustas, sed & posthumum nasci iustum, & legitimum, etsi ex iniustis nuptijs genitus fuisset: quia hoc pacto deficit ratio illa specialis Pauli in d. l. 11. maximè ex ratione text. in d. l. filius à patre. 28. §. 1. in fin. ibi *Nullo circa eum nouo facto, sed ordine quodam naturali nactus est potestatem*, vbi etiã in §. 3. prævalet ratio Triphonini dicẽtis *Nemo cerè dubitabit ex Titia, quæ tùnc propter tenorem ætatis vxor duci non potuit, quando testamentum fiebat, natum postea ex vxore ducta hæredem esse posse: & generaliter natо post testamentum hæredem scripto aditus est ad hæreditatem in qualitumque statu testamenti faciendi tempore fuit, quæ postea testatori ciuiliter nupta est.* Inde defendi potest verbum illud *Susceptos*, quod adiecit Gordianus in d. l. 6. & *Conceptos*, quod videtur restituere Concius, non esse de mente & intelligentia Pauli in specie d. l. eos. 65. d. §. 1. sed tantùm in speciali ratione text. in d. l. 11. quia in d. l. eos, deposito officij impedimento, nullo circa eos nouo facto, sed ordine quodam naturali nuptiæ fiunt iustæ, & legitimi liberi postea nati: & hanc quęstionem, dubio exterminato, decidit Iustin. in Nouella. 89. c. 8. ibi: *Cùm enim dubitatur, vtrum oporteat conceptus, an partus respici tempus: sancimus vt non tempus conceptus, sed partus inspiciatur propter filiorum vtilitatem: si verò contigerit tales aliquas ex-*

eo-

cogitari circunſtantias caſuum, in quibus eſt vtilius conceptionis tempus, quam partus, tempus illud valere magis præcipimus, quod vtilius ſit naſcenti.

Intereſt autem plurimum (inquit Bald. in d.l. filius à pa 22
tre d.§. 1.) an quid fiat facto hominis, an ipſo naturæ ordine: facto enim hominis, ſi iuſti & legitimi fiunt, qui iniuſti concepti ſunt, & nati; nõ legitimi; ſed legitimati ſunt, nõ iuſti, ſed iuſtificati, veluti non ſunt ingenui, qui in ſeruitute ſunt quæſiti, & in poteſtatem patris beneficio Principis redacti, ſed libertini, Vlpian. docet lib. 4. ad leg. Iul. & Papiam in l. fin. ff. de adopt. At verò ordine naturæ non libertini, ſed ingenui ſunt, tex. eſt in §. 1. inſt. de ingenuis.

Vnde exiſtimo magnũ verſari diſcrimẽ, vtrùm obes, ſeu impedimentũ ciuile cõtrahẽdi matrimoniũ tollatur ipſo iure, caſuvè, an volũtate, & beneficio Principis. Nã quãdò tollitur ipſo iure, veluti depoſito officio Prouinciæ tẽpore legitimo expleto, caſuvè altero deponẽdi: tũc ordine quodã naturali filij, qui poſtea naſcũtur, legitimi ſunt; non ex influentia alterius externę cauſæ, ſed ex vi intrinſeca matrimonij, & ideò in legitimatione ingenui ſunt, non libertini d.l. eos. d. §. 1. d.l. filius à patre d.§. 1. in fin. elegans tex. in Nouell. 78. c. 3. Itaq; ipſo iure capaces exiſtũt ſuccedẽdi in omnia bona, iure Canonico, & Ciuili: ſiue canonicũ fuerit impedimẽtum, ſiue ciuile. Et prædictam ſpeciẽ extẽdo, etiã ſi progeniti liberi fuiſſent ex iniuſtis nuptijs, dũ tamẽ nati ſint licito, & iuſto iã facto, ſiue cõtracto matrimonio, eſt tex. melior de iure in l. 37. §. 7. ff. de operis libert. ibi: *Poſthumus liberti hæredes patris ſui nõ liberat, quòd profiſci liberatio à liberto debet, nec quiſquã poſt mortẽ liberari intelligi poteſt, ex lege autẽ nati liberi proſunt.* Et ita ſtrictè: rectè intelligitur Paul. in d.l. eos in fin. ibi. Et ideò poſtea liberos natos ex iuſto matrimonio legitimos eſſe. Sic eſt explicandus tex. in l. ſiquis in ſenatorio, 27. ff. de ritu nupt. & hi liberi excludũt ſubſtitutũ ſub conditione, ſi ſine filijs

legi-

Universidad Carlos III de Madrid. Biblioteca

legitimis. Quandò verò tollitur impedimentum beneficio Principis in finem legitimandi matrimonium, liberosque ex eo: quia tunc causa efficiens est externa, scilicet voluntas Principis, & inde non ex vi matrimonij, nec ordine quodam naturæ legitimantur: in legitimatione non ingenui, sed libertini, idest non legitimi, sed legitimati sunt filij antea geniti, licèt postea nati, arg. text. in l. fin. ff. de adoption. si exprimatur quidem in rescripto, qui adhuc in vtero sunt, alioquin etiam iniusti, & illegitimi nascuntur, qui ex iniustis nuptijs sunt geniti: quia nihil operatur vltra intentionem agentis, & limitata causa limitatum producit effectum, l. in agris. 16. ff. de acquir. rerum domin. Et hoc adspectu potest intelligi Paulus in d. l. eos, cum adiectione Gordian. in d. l. 6. & notâ Concij ibi *Susceptos*, idest *Conceptos* ex l. 17. §. 5. ff. ad Trebellia; & prædictam distinctionem subintellixit ipse Paulus in l. 7. ff. de statu homin.

Et cùm filius, & pater is sit, quem nuptiæ demonstrant, iustus quidem & legitimus, l. 4. l. 6. ff. de his qui sunt sui, vel al. l. 5. ff. de inius vocand. l. 44. §. 3. ibi: *Tamen iustum patrem intelligendum Octauenus ait*, vbi Gotifred. ff. de ritu nupt. c.
23 fin. 32. quæst. 4. Et in conditionibus verba propriè, & verè sint accipienda, l. fin. C. de his qui veniam ætatis impetr. l. Meuius, ff. de conditionib. & demonstra. & nisi legitimus filius verus non appelletur, l. fin. ibi *Verum filium accipi oportet* ff. de iure deliber. l. ex libera, C. de suis, & legitim.
24 hæred. Non euanescit conditio *Si sine filijs legitimis* in fideicommisso, siue substitutione adscripta, agnatione legitimati per rescriptum, quoniam eum, qui commui iure legitimus est, & sic voluntate testantis: non autem qui speciali iure legitimatus est sola voluntate Principis citra assensum, & intelligentiam testatoris, intelligi in illa conditione oportet.

25 Et Iabolenus in d. l. fin. ff. de iure d. lib. subtiliter inter-

iecit

iecit pacem inter Labeonem,& Trebatium, ac Vlpianus explicat Papinianum in l.ex facto.17.§.4 ad Trebel.ibi: *Mihi autem, quod ad naturales liberos attinet voluntatis quæstio videbitur esse de qualibus liberis testator senserit: sed ex dignitate, & ex voluntate, & ex cõditione eius, qui fideicõ missit accipiẽdum erit.* Quòd si legitimatus fuerit testator ex vi rescripti, tũc legitimi appellatione, legitimati agnatione excludi substitutũ,&euanescere conditionẽ doceãt Vlpian.& Iabolenus,& ita etiã inspecta persona grauati, appellatione legitimorũ intelligi legitimatos; velut instituto libertino, filios eius naturales eliminare fideicommissum d.l.fin.l.88.§.Damæ,ff.de leg.2.vbi quia is,cui fideicomittitur,libertinus erat, libertinamque filiam reliquerat,euanuit conditio *Si sine filijs*, quoniam hæc coniectura inquit Claudius Triphoninus *Creditur appellatione filiorum,& naturales liberos, ideſt in seruitute susceptos contineri.* Sic similiter legitimatos,etsi illegitimationis nota conceptos,appellatione legitimorum contineri, si is,qui fideicommisit,vel cui fide committitur legitimatus fuerit,non legitimus;aut cohæres fuisset eiusdem cõditionis,vel coinstitutor,ex sententia Papiniani in l.cùm pater.77.§.volo.13.de leg.2.& Vlpiani in d.l.ex facto.17.§.4 ad Trebellian.ex ratione ipsius in l.160.de regul.iur. *Absurdum est* (enim) *plus iuris habere eum, cui legatus sit fundus, quam hæredem, aut ipsum testatorẽ si viueret*,& Pauli in l.175.§.1.cod. *Non debeo melioris conditionis esse, quam auctor meus, à quo ius in me transit.* Et hæc est ratio Iabolenj,& Trebatij in d.l.fin.vbi qui filium libertinum habebat,hæredem eum instituerat,ideo filij ibi appellatione libertinus quoque continetur:nec Labeonis,nec Trebatij ratio fuit figura matrimonij,vt aliqui existimarunt,sed quia omnes hæ quæstiones sunt coniecturales,vt ex Vlpiano exugunt Doctores Anton.Thesaur. decis. Pedem. 166.num.6.D.Molina plures referens lib.3.Hispan.prim. cap.

Universidad Carlos III de Madrid. Biblioteca

cap. 3. num. 43. & Mantica lib. 11. de coniectur. tit. 9. num. 5. Azeuedo in l. 3. num. 16. tit. 8. lib. 5. nouæ Compil. Paleotus de nothis, & spurijs, capit. 27. num. 4. Corras. lib. 1. Miscellan. cap. 7. Conan. lib. 10. cap. 1. num. 7. Caldas Pereir. de nominat. quæst. 20. à num. 7. Menoch. lib. 4. præsumpt. 89. num. 19. & ex d. l. cùm pater d. §. volo: ex sententia Papiniani expendit Fachin. lib. 4. controuers. cap. 52. Et ita doctissimus noster D. don Ioan del Castillo huius quæstionis dissentientes lanistas in concordiam reducit, rectè cum Iaboleno concludens, ex coniecturali voluntate pendere filios naturales excludere substitutum, & eruditè exornat ex mente omnium Glossographorum tom. 5. controuers. 2. part. de coniectur. cap. 82. lib. 5. num. 25. cum seq. *In facto* (enim) *consistentes conditiones* (inquit Paulus) *varietatem habent, & quasi tripartitam conditionem* l. 60. ff. de condit. & demonstrat.

Et quamuis sit regula iuris sententia Labeonis, qui verum expetit filium ad excludendum substitutum conditione illa *Si mihi filius nullus erit*, d. l. fin. ff. de iur. deliber. quia naturalis quoad successionem de iure ciuili verus filius non erat: imò incapax, auth. quib. mod. natur. eff. sui in princip. & in §. palam, vers. *Quomodò*, & §. discretis, coll. 7. & in auth. licèt, C. de natural. liber. vt rectè concludit Paleotus vbi supra, & D. don Ioan. del Castillo d. tom. 5. d. 2. part. cap. 110. num. 25. cum seq. Ob quam regulam etiã coniectura pietatis Papiniani in l. cum auus. 102. de condit. & demonstrat. filio naturali non euanescere conditionem, *Si sine liberis*, verius videtur: nosque cum Iustiniano decisionis eius extensione in l. generaliter 6. C. de instit. & substit. *Hoc latius, & pinguius interpretandum esse cre-*
26 *aidimus*. Papinianus enim non potuit subintelligere, nisi nepotem legitimum ex filio legitimo: ita vt ambo ad successionem legitimam admissi fuissent à lege: Iustinianus autem tanquam Legislator extendere potuit, vt nepos,

sed

Universidad Carlos III de Madrid. Biblioteca

sed legitimus ex filio naturali admitteretur: duplex enim à iure reijcitur coniectura, nempè quòd subintelligatur à lege is, qui à testatore non est vocatus, & quòd sit talis, qui alias à lege non erat admissus, ideò inquit ibi Iustinianus, *Et non aliter substitutione locum accipiente, nisi ipsi liberi sine iusta sobole decesserint.* Tamen adiecta conditione *Si sine liberis*, vnicum tantum ex coniectura inquiritur, nempè si sub illo verbo *Liberis*, intelligantur naturales, & affirmat Papinian. lib. 8. responsorum in l. 77. §. volo, de leg. 2. & refert, ac explicat Vlpian. in d. l. 17. §. siquis rogatus, ad Trebel. alioquin Iustinianus ipsius Papiniani subuerteret responsum, dum latius, & pinguius interpretari putaret: inde vtriusque decisionem rationi esse consentaneam in sua propria specie defendi oportet: & ex his decidi quæstionem, vtrum filij legitimi ex patre illegitimo admittantur in successione fideicommissi, & maioratus, de qua post omnes D. don Ioan del Castillo sup. d. lib. 5. cap. 103. num. 11.

Sed quoniam discrimen, inter legitimos, & illegitimos liberos, non solùm à lege positiua inlatum est, sed ab eadem causa, & origine, quâ omnes homines non promiscuè sunt liberi, aut ingenui; bella etenim orta sunt, captiuitates sequutæ, & seruitutes, quæ sunt naturali iuri contrariæ, §. ius autem gentium inst. de iure natur. ita ex peccato concupiscentia orta est, fornicationes, & adulteria sequuta, quæ sunt iuri naturæ contraria: & inde sicut alij liberi sunt, aut serui, ita alij iusti filij, & legitimi sunt, alij illegitimi, & spurij: illi sic, quia ex coniunctione rationali, quàm apud nos matrimonium appellamus indiuiduam vitæ consuetudinem retinendi sunt progeniti: hi tamen sic, quoniam non iure hominis, siue iure rationis, sed brutali tantum sensu, & appetitu irrationali sunt geniti: itaque simpliciter regulâ rationis, & iuris, filiorum appellatione non comprehenduntur illegitimi, 27

Universidad Carlos III de Madrid. Biblioteca

seu citra matrimonium nati, ita vt nec gaudeant paternæ nobilitatis honore, vt ex doctissimo Pichardo eruditè obsernat Carranza, de partu cap. 3. §. 3. num. 16. & 17. nisi à Principe, vel consuetudine, vel statuto aliud fuerit inductum; veluti in Francia, teste Tiraquel. de nobilit. cap. 15. num. 25. in Hispania, Couar. de sponsal. 2. part. cap. 8. §. 4. num. 3. & 4. ex l. 1. tit. 11. part. 7. in Sabaudia, Rainerio de nobilit. 5. part. quæst. 2. in Florentia, dicantur de domo & familia, sicut legitimi, Bart. in l. fin. num. 1. C. de verb. significat. & ibi Bald. & Cornel. in Perusio, Angelus refert consil. 30. num. 6. & Brixiæ, Pedroch. consil. 10. num. 10. & seq. congerit Marta de succes. legal. 4. part. quæst. 21. art. 5. & contra patrem Thom. Sanchez torosè differit Carranza supra à num. 18. ex ancilla concubina natum nobilitatis paternæ participem non fieri, quod de iure communi duplice obice verius videtur.

At verò cùm prædictis statutis filio, etiam extra matrimonium nato, nobilitatis inhærentia concedatur; præcipuè apud nos d. l. 1. tit. 11. part. 7. vbi Gregor. verbo, *Amiga*, Didac. Perez in l. 1. tit. 1. lib. 4. ord. Tellus Fernandez in l. 11. Tauri num. 2. maximè cùm non resistat ius; sed tantùm defuerit contrahendi consensus, cap. 2. & fin. de coniug. seru: an obsit tantùm seruilis, aut libertina cõditio filijs nobilis patris, quia partus sequitur conditionem matris:) adhuc in seruitute existentibus obficere vtrique subscribunt lanistæ: descendunt tamen in arenam pro quæstione, vtrùm libertina conditio nobilitatis influen-
28 tiæ paternæ resistat. Attenta autem d. l. 1. partitæ, iunct. cap. 2. & fin. de coniug. seruor. in hac quæstione, nulla distinctio est inter filios legitimos, & naturales. Si ergo subscribam Carranzæ, difficilè erit argumenta iuris communis nouiori peculiari iuri adæquare, adiecta decisione Modestini in l. 7. ff. vnde cognati, ibi: *Is qui aliqua ratione seruus factus est, manumissione nulla ratione recipit cognationem,*

nem, quæ etiam si concedamus Thom. Sanchez, iura nobilitatis (vt asserit) inesse cognationi, lacertosa contrarietate opugnat: si seruus (secundum Modestinum) manumissione, nulla ratione recipit cognationem, & inde nec iura nobilitatis recipiet.

Deinde ipso Modestino attestante, quia etsi *Cognationis substantia bifaria apud Romanos intelligitur, naturalis quidem cognatio, hoc ipso nomine appellatur, ciuilis autem cognatio, licèt ipsa quoque per se hoc nomine vocetur, propriè tamen agnatio vocatur, videlicet quæ per mares contingit*, l. 4. §. 2. cum seq. de gradibus & affinit. Sed apud nos qualitas nobilitatis non nisi per mares inseritur, cùm si cognationis naturalis esset, etiam *Per fœminam descenderet, quæ vulgo liberos peperit*, d. §. 2. licèt verum sit, quod inquit illic Modestinus *Vtroque iure consistit cognatio, cum iustis nuptijs contractis copulatur*. Et ideò quia vtroque iure naturali, & ciuili copulata est, post emancipationem inhæret cognatio, & inde etiam inhæret nobilitas, argum. text. in l. 9. ff. de senator. ibi *Nam quæsita dignitas*, l. 7. ff. eod l. 34. in fin. de ritu nupt. 29

Ex qua Modestini ratione, cùm vtroque iure sit copulata cognatio, nec deportatione amitti fatendum est, & ex l. sunt quidam. 17. §. item, ff. de pœnis, cum sim: atsi nobilitas ineat cognationi, neque illam exterminari videtur, semper enim remanet discrimen inter deportatum, & illum, qui in opus metalli, vel in metallum datur, is semper erat plebeius, vt asserit Callistratus in l. 5. in fine, ff. de extraordinar. cog. & inde non nisi nobilem deportari moris quiritum fuisse consequens infertur: & quamuis consumpta videretur existimatio, maximè illa capitis minutione, hoc intelligitur quoad effectus ciuiles, quia ciuitatem (etsi libertas retineatur) amissam fuisse dicitur, ita vt ea, quę iuris ciuilis sint, non haberet deportatus, d. l. 17. d. §. item, §. minor. inst. de capit. diminut. Vnde alligatam

alteri iuri, scilicet naturali ratione sanguinis, nobilitatem ineſſe credimus, & à fortiori legitimationem quoque filiorum inſitam (etſi ſopitam) immobilem remanere: ſiquidem à iure gentium rationem eius, & originẽ, imò & naturæ, prælibauimus: dum etiam quid ciuile, quod tractu tẽporis cõducitur, deportato ſeruetur, l. cũ pater. 77. §. hæreditatẽ, de leg. 2. d. l. 17. §. 6. ad Trebel. exornat omni eruditione, & prudentia ex cultus vir Magiſter, ac ſupremus Conſiliarius dom. D. Ioan. Chumacero, ſelect. diſp. 11. n. 8.

30 Neque obſtat text. in l. ex facto. 17. §. ex facto. 5. ff. ad Trebel. vbi filij in deportatione concepti ab his, qui ante deportationem legitimè, iuſtiſque nuptijs fuerant copulati, non efficiunt deficere cõditionem *Si ſine liberis*: imò quaſi ab alio extraneo progeniti minimè proſunt, vbi neque etiam, tanquam naturales prodeſſe videtur; ſiquidem expreſſa illa conditione *Si ſine liberis*, vt exprimitur in d. §. ex facto, admitti etiam naturales debere defendi, ex d. l. 17. §. ſiquis rogatus, & ex d. l. 77. §. volo de leg. 2. Sed reiecta nota calũniæ, qua inurit Tribonianũ Anton. Faber. lib. 17. coniectur. c. 20. Neque admiſſa (ſalua pace tanti viri) præceptoris doctiſsimi D. Amaya intelligentia, qui lib. 1. obſ. c. 12. n. 16. matrimonium legitimum deportatione fieri illegitimum cõtendit, & inde filios in deportatione ſuſceptos illegitimos eſſe: quia licèt verum ſit, quòd nõ poſſint à deportato legitimæ contrahi nuptiæ: & ita intelligenda eſt ſententia Senecæ, quam ibi pro ſe D. Amaya inducit: legitimæ tamen ab eo ante deportationem celebratæ, legitimæ adhuc in deportatione remanent: licèt nõ quoad effectus agnationis, qui pro tũc dormiũt: quoad effectus tamẽ cognationis & rem, ac cauſam, quia vtroq; iure conſtitit, cùm iuſtis nuptijs copulata fuerit, d. l. 4. ff. de gradib. & ideò aſſerit Vlpian. in l. ſed ſi mors. 13. §. 1. ff. de donat. inter. matrimonium deportatione minimè diſſolui, l. 5. §. 1. ff. de bonis damn. l. 1. C. de repudijs l. 24. verſ.

Sin.

Sin autem, C. de donat. inter. verè & scitè Gotifr. in d. §. ex facto, & Anton. Faber. supra: quia etsi donatio causa mortis, inter virũ, & vxor. cõcepta videatur confirmari deportatione, non tamen sine dependentia mortis naturalis, quoniam vt eruditè docet peritissimus, ac prudẽtissimus admodum Patritius vir dom. D. Ioan. Chumacero select. disp. 10. n. 5. Quoties in iure mortis naturalis mentio fit, siue actu inter viuos, siue vltimo elogio, non sufficit mors ciuilis inducta ex deportatione ad purificandam conditionem, casumvè, inducit l. cùm pater. 39. §. hæreditatem, de leg. 2. l. in ea parte. 121. §. in insulam de verb. & l. intercidit. 59. de condit. & demonst. iuncta l. vnic. §. sin autem, C. de caduc. toll. Itaque ex illo argumento non deducitur matrimonium deportatione fieri illegitimum, & iniustũ, maximè cùm ipse D. Amaya fateatur, non nisi diuortio celebrato dissolui, tunc matrimoniũ ex d. l. 5. d. §. ff. 1. de bonis damn. nõ possum inuestigare rationem, nec ius, quo iniustum, & illegitimum fiat, filijque ex eo geniti iniusti nascantur: nam licèt verùm sit, quòd nõ sunt sui hæredes; quia non sunt in potestate deportati, qui nullam habet: neque etiam emancipati sunt in patria potestate, nec sui hæredes, & tamen sunt filij iusti, & legitimi: quia legitimatio filiorum nõ pendet ex patria potestate, & ex apicibus iuris ciuilis, vt suitas; sed ex ratione naturali, vt dixi ex d. Nouella. 89. cap. 1. & 9. adiectis accessoriè, tanquam ad probationem solemnitatibus, ac ritibus ciuilibus, qui cùm semel verè adsint, insistentia illorum amplius non desideratur, vt matrimonium legitimum permaneat ex omni iure, vt supra probaui.

Vnde dicendum censeo, cum Gotifr. ibi in d. §. ex facto, filios etiam in deportatione cõceptos ab his, qui nuptias legitimas contraxerant, esse non solum naturales, sed legitimos, & iustos nasci. Quarè autem nõ efficiãt deficere conditionem, *Si sine liberis*, sicut ante deportationem cõcep-

cepti? nulla ratio illius decisionis (ni fallor) reddi potest, nisi quòd in deportatione concepti non tantum delicti, sed & pœnæ nota aspersi sunt in sanguine patris, capitis etiam illius, & existimationis minutione notati, argum. l. 5. & in §. 1. C. ad leg. Iul. maiestat. & ibi Gotifred. & cùm mulier filium suum ciuem Romanum instituisset, erubescit iam talem peregrinum filium habere ita notatum delicto, & pœna, & minutione existimationis: ex talique filio genitos, quasi ab alio extraneo, non intellexisse sub illa conditione, *Si sine liberis*, testatricem credidit Vlpianus: maximè cùm in his, qui post patris damnationem cõcepti, & nati sunt; paterni, hoc est hæreditarij criminis exempla metuantur, d. l. 5. d. §. 1. ad leg. Iul. maiestat. Iul. Clar. lib. 5. sentent. §. læsæ maiestatis, versic. *Quæro*: & licèt in specie Vlpiani prædicta, nequaquam damnatio fuisset ex crimine læsæ maiestatis (quod penitus negandum non est, cum ex facto respondisset Consultus) expediebat tamen fisco, vt illi filij, saltem in deportatione concepti, nõ efficerent deficere cõditionem fideicommissi: quia quartæ quidem commodum ad fiscum pertineret deficiente conditione; dodrans verò fideicommissario restitueret, idem Vlpianus ait in l. 3. in fin. ff. ad Trebellian. & ipsemet innuit in d. §. ex facto, illis verbis, *Maximè cùm etiam bona cum sua quodammodò causa fisco sint vindicanda*: nam si filijs mortuo patre fiscus bona hæreditatis illius restitueret, integrè sine diminutione quartæ: quia hæredibus non fideicommissario restituturus erat. Iustaque causa fisci vi debatur ex eo, quòd filium in deportatione genitũ damnationis paternæ nota infectũ, quasi ab alio, quam quem instituerat testatrix, susceptum ea non voluisse comprehendi appellatione liberorum videretur: præcipuè cùm sanguini, & ossibus huiusmodi filiorum, qui in deportatione sunt concepti insit aliqua repugnantia honoris, quirituumque iutis, capiendæque hæreditatis, præcipue,

Universidad Carlos III de Madrid. Biblioteca

puè, quæ dependent à restitutione ipsius deportati.

Cùm igitur (reuertar ad quæstionem inceptam) qualitas illa, siue media capitis, seu existimationis minutio inhæreat ossibus deportati, quam filijs influit in generatione repugnantem iuri Quirituum (cum alius homo, & nõ ciuis Romanus reputetur) ideò & nobilitati; (quæ qualitas quiritaria est:) videtur nõ posse retinere nobilitatem: maximè cùm sit in præiudicium fisci: quæ si cognationi, quæ iuris naturæ est, inesset; (vt existimat Thomas Sanchez) minimè amitteretur, d.l.17.d.§. item, ff. de pœnis: saltem tamen quoad effectus denegatur deportato, licèt libertatem nunquam amisserit, quantò magis deneganda est seruo, qui nec antea fuerat ciuis, nec liber? & postea propter repugnantiam seruilis qualitatis ossibus inhærentem in qua conceptus, & natus fuit seruus, quamuis manumitatur, nulla nobilitatis ratione manumissione recipit cognationem nobilem: quia nec manumissor, nec manumissio causa efficiens est, nec modus inducendæ nobilitatis: imò potius manumissio inducit qualitatem cõtrariam nobilitati, nempè libertinitatis, quâ etiam ipsa vera cognatio videtur deficere, *Quoniam mater esse huiusmodi filiorum desijt, idque Iulianus scripsit, & constitutũ est ab Imperatore nostro*, inquit Vlpian. in l.2.§.2.ff. ad Tertyl. libertini enim cõditio, ita iuris nota (Amaya lib.2.cap.5. obseru.) inuritur, vt senatoribus, eiusque liberis lege Iulia, & Papia prohibitum fuerit cum libertinis copulari, ac si cum infamibus personis, l.44.l.47.ff. de ritu nupt. cum simil. & rationem reddit Gotifred. ex l.8.C. de dignitat. & hanc vilem conditionẽ, non tantùm dignitati senatoris, sed nobilitati ex illa quæsitæ obesse Papinianus docet in l.9. de senatoribus, ibi: *Filiam senatoris nuptias liberti secutam, patris casus non facit vxorem; nam quæsita dignitas liberis propter casum patris remoti à senatu auferenda non est.* Vbi nota quòd quãdo qualitas inhæret ossibus, etiam remo-

31

32

33